STANISLAI

ORICHOVII RVTHENI
PRO ECCLESIA CHRISTI AD
SAMVELEM MATIE-
OVIVM EPISCO
PVM CRAC.



STANISLAI ORICHOVII RUTHENI PRO ECCLESIA CHRISTI AD SAMUELEM MATIEOVIUM EPISCOPUM CRACOVIENSEM.

CVm nuper ad me allatus esset liber M. Lutheri, & quidē iā te Episcopo Cracouiensi designato, qui ab illo ADVERSVS PAPATVM ROMAE A SATHANA FVNDATVM, inscribitur, non plus gauisus sum, quàm dolui. Nam causa nō desistere semel suscepta M. Lutherum, ingemiscendum est: & quòd is eo tempore nos oppugnet vehemētius, quo tu huius in Sarmatia principis vrbis Antistes es factus, lętandum est. Cū em̄ moribus nostris creuerit Lutherus, dubiū non est, illū minus roboris in Polonia habiturū, si quid nos autore te immutamus de vita, Quę cū reprehēdatur passim

reprehensor quoque eius Lutherus popula-
ris adeo est factus, vt locupletiorem authorē
apud plebem non requiras. At si omnia ipsi-
us dicta, atq; scripta scrutere, nihil sanè repe
rias, quo is fidem hāc sibi concilietꝰ quàm re-
prehēdēda vita nostra. Quę quoniā ad ipsi-
us dicta patet, ea iam perfecit improbatione
nostri, quę ab inicio ille nō est ausus optare.
Leuiora siqdē illa fuerāt Lutheri, de indulgē
tijs, de purgatorio, de diuorum cultu, de qui
bus ita à nobis ille dissensit, vt tamē Roma-
nę sedi suū honorē haberet. Nūc verò culpa
nostra factus robustior, peruertit omnia: at-
q; ita vertit ab imo, vt nihil iā sit, quod qui-
dem apud nos laudandū putet. Romā Sy-
nagogā Sathanę appellat, Pontificem Anti
christū, Cardinales Hermophroditas: vt ver
ba etiā cōtumelię causa fingat, Quod cū ali
bi facit Lutherus, tū vl' in primis in eo libro,
cuius supra mētionem feci, in quo ille omnē
humanitatem mihi abiecisse videtur, verecū
dię etiā fines ita transgreditur, vt rerum tur
pitudinē cum verborū obscœnitate maledi-
cendo cōiungat. Et tñ is, quamuis petulans
scriptor, tāto studio legitur à multis, vt mihi
quoq; quidā è Vitemberga eius. istum li-
brū legendum miserit, cū hac cōmendatiōe,
nihil

nihil videlicet vnquam in Papam, & in Pa-
pistas (sic em̄ scribit) potuisse à quoquam
neq; scribi verius, neq; dici luculētius. Qui-
bus verbis sum adductus, vt legerē quę mit
tebātur diligētius aliquāto, quā istorū soleo.
Putabā em̄ noui aliquid cōtra nos eo libro
adferri, pręter id, quod ego de Luthero Vitē
bergę olim audieram puer, quid multa? ea-
dē reperio, notas quippe illas vrbis veteres,
quibus ille summā ordini nostro conflat in-
uidiam, quę nisi à nobis restinguitur com-
mendatiōe & innouatione vitę magna pars
subiectorum vobis, quasi quodam ictu ful-
minis, hoc aculeo Lutheri conflagrabit. Si
enim nos cōtra Lutherum nihil aliud affere-
mus pręter id, quod in ecclesia sumus, erit in
meliore causa Lutherus, quod is extra ecclesi
am degens, mala tamē interiora ipsius eccle-
się cernat, & moneat, q̄ admitteremus nos.
Quę ita ille repręhendit sęcūdo populo, vt
ōnem statū ecclesię labefectet. tollit em̄ pe-
nitus omnem authoritatē eius ex animis hō
minum, dum vicijs nostris infensus, res ipsas
prosequitur. Qui em̄ quęso status erit, si ra-
tionem ad veritatē reuoces, aut quę forma
remanebit ecclesię, si in ea nihil erit prius, ni-
hil posteriꝰ? si suo cēsore illa carebit? Si ne-

 mo er

mo errãtem corriget Lutherũ, aut quenquã
pręter hũc aliũ? Quod sane ille nobis persua-
dere nititur in eo libro, quẽ nuper ędidit: in
quo criminãdis Episcopis hoc assequitur, vt
multi iam satius esse ducãt talibus Episcopis
non vti, quales vulgo Lutherus vult videri.
At si resipisceremus aliquãdo nos, & ad no
strũ munus omẽs essemus attenti, quid que-
so restaret, aut quid esset amplius, quod cri-
minaretur Lutherus? Nihil equidem puto.
Sunt em̃ apud nos cętera diuinit⁹ cõstituta,
& omnia pene cũ ipsa ecclesia nata. Nã vnũ
esse rectorem, atq; moderatorem Ecclesię,
hoc vetus est, iam inde ab initio in Ecclesia
vsurpatum: Episcoporum etiã summam au
thoritatem semper fuisse, hoc ne ipse quidem
audet negare Lutherus, hoc igitur nouum
nõ est. Sed quod Pontificatus ambitiõis est
interdum pręmium, quod Episcopatus ipse
sępe fit adulationis merces, hoc nouũ est, &
non ferendũ. Hęc enim duo alia infinita cõ-
sequuntur vitia, quibus iam obruimur, quę
si negamus, impudẽtes sumus, si moniti non
corrigimus, verendum est, ne Ecclesiam am
mittamus, de qua iam periclitamur. Quanq;
peruerse agat Lutherus, colligẽdis enim vi-
cijs nostris res ipsas infamat, quę vt hominũ
inuento

inuento constitutę non sunt, ita neq; vitio
humano euertuntur. Tamen tantum po-
test inuidia, vt etiam ipsa bona, quę homi-
nũ causa diuinitus sunt cõparata, vim auto-
ritatemq; suã amittãt ipsorũ hominũ culpa:
Vnum ex multis ꝓferam. Quid tam popu
lare apud patres nostros fuit, quã erat ipsius
Romani pontificis nomen? Summa religio
nis Christianę ad hunc pertinebat solum, hic
censor morum, lator legum, autor pacis gẽti
bus inter ipsas fuit: ipsius orbis terrę pręterea
consensus, & quasi conspiratio quedã huius
vnius arbitrio cõtinebatur. Regum hic fuit
pater, iudex, & Rex, his adimebat, illis trade
bat imperia, neq; erat quisquã, quod à pon-
tifice Romano factũ erat, quin id rite factũ
putaret. Iurę tum florebat Ecclesię nomẽ, q̃
gentibus, & linguis dispersa, moderatiõe ta-
mẽ vnius, vna erat. Nullum me hercule vin
culum, ad stringendam societatem hominũ
inter ipsos, veteres illi christiani sanctius esse
volebant, pręter ipsius Romani pontifi-
cis nomen. Tanta tamen autoritas quàm
viluerit, vides. Hoc in loco dabis mihi hanc
veniã, si causas huius calamitatis pręteriero
quas scio tibi esse notissimas, quę ipse per se
ad commutandũ statum Ecclesię valebant,
etiam

etiam si ad eius perniciem nunquã incubuis-
set Lutherus: qui cum non sua gloria, sed no
stra infamia impunitatem esset assecutus, li
bere in nos, quę vult: dicit. Sed tamen, vt
dixi: omnis istiusmodi maledictorũ in mori-
ibus nostris hęret culpa, non in Ecclesia.
Contra quam cũ vehementius inueheretur
M. Lutherus, nolui cõmittere, vt apud me
id ille faceret impune: Respondi homini in
hoc libro quẽ ad te mitto in q̃ omnẽ digni-
nitatẽ veteris Ecclesię contra illũ defendo,
Quod eo feci libentius, quãto Lutherus prę-
ter maledicta nihil contra nos afferat, sed ita
dictis sedẽ conuellat Romanam, vt audien
tiam sibi fieri velit, non vt argumento nos
petat: & arte id quidẽ ille. Cum enim veri-
tate, nocere nobis apud plebem non posset,
maledictis agere statuit: quod imperita mul-
titudo reprehendendis aliorum moribus de
lectatur, laudibus non item. Etenim dicat
qui vult ex omnibus istis, qui mirãtur Lu-
therum: quid nam is attulerit eo libro, quod
quidẽ magna ratione contra nos allatũ esse
videatur? Nihil sanè repperiet, pręter male-
dicta arrepta ex triuio: vt me iã vehementer
ipsius pœniteat, quod ne ętas quidem ipsa a-
liquid de homine detraxerit: cuiꝰ ętatis flexu
ipse

ipsę quoq; mitescũt beluę, quãuis ferę sint,
& indomitę: in solo nihil vim hanc potuisse
Luthero, mirandũ est. Sic enim ille agit con-
tra nos, vt eius modestię obliuiscatur, quam
lex christiana nobis pręscribit, quę in hostes
q̃q; ipsos iubet nos esse indulgẽtes: Deinde
videat quęso Lutherus in quẽ probra iacit.
Multũ eñ interest Priuatúsne sit is an Ma-
gistratus, quem maledicto petas: inueniet ni
fallor eum esse Paulum tertium, quem pluri-
mę consentiunt gentes, primarium esse virũ.
Itaq; sit sanè Paulus tertius talis, in quem sit
facile dicta Luthero dicere, tamẽ is meminis-
se debebat, cũ eius viri prouidentia nõ casu,
neq; vi, sed summa voluntate tot nationũ,
atq; gentiũ, tot regum, atq; principũ, tetrar-
charũ, Magistratuũ priuatorũ, orbis tr̃ę gu
bernet, illũ Tyrannũ nõ esse: neq; iuste, neq;
pie Sacrilegum, Symoniacum, Paulam de-
nique, non Paulum per contumeliam à Lu
thero dici. Si non ipsius Pauli tertij, at sal-
tim tot gentium honoris gratia, quę se illi vl
tro subiectas esse profitentur. Quam eñ no
bis Sarmatis vim ille attulit, vt ipsius dicto
audiẽtes essemus? An ille optimũ principem,
sapiẽtissimum senem, regem nostrum Sigis
mundum vi in fidem suã recepit? Qui vltro
 per lega

per legatos more, institutoq; maioru͂ á Paulo Tertio, mox quàm is Pontifex maximus factus erat, petiuit, quo in illius fide esset. Iã Q. Cesar, Ferdinãdus item Rex, Francisc⁹ Valesius, summa autoritate reges, & potestate, suis né manibus illi vltro Italis, Hispanis, Germanis, atq; Gallis hunc, vt Lutherus vult, tam tetrum imposuerunt Tyrannu͂: Hęc si cogitare voluisset Lutherus, nu͂q̃ hisce ignominię maculis, vnà cu͂ Paulo tertio, tot gentes atq; nationes aspersisset, quę ipsius dicto ex animi sentẽtia parent. Sed fuerit hoc illius, qui tãto odio exarsit in sedem Romanam, vt autoritatem etiam orbis terrę cõtemnat, nobis quoniam pręceptum est obedire prępositis nostris, quòd illi ꝓ nobis vigilant, tanquã rationem reddituri, afferamus sanè & nos aliquid in medium ꝓ Pontifice nostro, in quo si nihil aliud, nostra saltim in illum extet fides: immò verius in Ecclesiã ipsam, cuius hic curator, & patronus est. Et quoniam Lutherus demonstrare nititur, ecclesiam nostram nihil aliud esse, quàm Synagogam Sathanę, carẽtem clauibus, & Pontifice, nosq; qui pontifici paremus, portis inferorum includit, magnum dedecus nostrum, & flagitium cõmemorans: ostendamus

mus nos vicissim Luthero, eã ecclesiam, in qua nos sumus, & cu͂ qua tot annos frustra bellum gerit, esse sanctam, catholicam, & apostolicam, ritè vtentẽ clauibus, Pontifici Romano legitimè subiectã, idq; faciamus sanè via, & ratione, non contumelia, neq; maledicto. Illius eñ discipuli sumus, qui ꝓ interfectoribus quoq; suis moriturus, patrẽ rogauit. Tametsi lacessiti iure fortasse vti possemus nos quoq; hoc cõtentiõis genere, Sed facile patiemur nos à M. Luthero in eo vinci, q̃ ille vicit omnes. Causã itaq; nostrã agemus quiete, & remisse, vt hoc quiuis intelligat, ibi maledictis non esse opus, vbi res ipsa limatur, et veritas exquiritur. Sed de his dicemus deinceps multa. Nunc iã rem ipsam aggredior, si prius illud pręfabor.

Ego Samuel MATIeioui, cu͂ multis modis afflictã ecclesiã viderẽ, pręcipue tñ moribus eoru͂, qui illi pręsunt, dici nõ potest, quã gaudeam te hominẽ probatum, & planè virum bonum,. in hoc amplissimę dignitatis gradu cõsedisse, in quo ceu in quadã specula, à Deo collocatus, non solùm recta pręcipiendo, sed etiam honeste viuendo possis Lutherum ab ouili tuo prohibere. Fuisti tu quidẽ in Polonia alter Samuel, et penè par illi, in Iudea,

 qui

qui olim fuit: sed tu talem causam celebri-
tatis & nominis non habebas, qualem nunc
habes. Nactus es enim huiusmodi prouinciã
in q̃ excurrere virtus tua, cognosciq́ possit.
Vt iã tibi nulla reliqua sit excusatio, q̃ mi-
nus hęc bona, quę in te videmus diuina, ac
egregia: conferas ad ecclesię constitutionem:
quam collapsam vides superiorũ culpa, qui
ecclesiam ita negligebant, vt ante te, post ho-
minũ memoriam in Polonia Episcopus pu-
blicè concionatus sit nemo. O turpem notã
temporũ nostrorum. Ad monachos hęc rele
gabantur, & ad humiles parrochos. Pastorũ
vox, q̃ prĩceps in Ecclesia esse debebat, nobis
nota non fuit. Lutherus interea, cum se om-
nibus artibus cõtra nos confirmasset, hac o-
portunitate vsus, obrepsit quoq́ ad nos: sen
simq́ ex multorum animis Pontificẽ abole
uit Romanũ. Persuasit enim multis, in eccle
sia ab vno nõ dependere omnia, omnes nos
esse pares, sacerdotẽ eundẽ esse qui sit Pon-
tifex, inter Vitembergam & vrbẽ Romam
nullũ esse discrimen, Lutherum & Papam
idem esse, & plus etiã. Nos autem qui vrbis
Romę autoritatẽ seqmur, fugitiuos hostes
Christi, insanos deniq́ esse dicit. Quę illius
sententię ideo locũ habẽt, quòd ad eas muti
sunt

sunt Episcopi, ĩfirmi monachi, parrochi etiã
indocti, vita porro ipsa deprauata tã parro-
chi, quã monachi, facile probat populo has
sentẽtias Lutheri esse veras. Quamobrẽ ti-
bi hęc SAMVEL corrigẽda sunt, tu nos
in ordinẽ redigas oportet: iã ẽm securis ad
radicẽ posita est, quę proculdubio excindet,
& te, si differs, & nos, si tibi non paremus.
Neq́ vero opus erit ad nostrũ exitium Lu-
thero: ipsi domestici nostri, fratres, & genus
nostrum nõ ferent hanc labem, atq́ infamiã
Ecclesię Christi diutius per nos inuri: quę
inde euenit, dum ambitiõe cunctos, luxu ve
ro ipsi nos indies superamus. Quę duo vitia
si ꝑ te ex ordine nostro tolluntur, stabit ec-
clesia quo cepit statu, si aũt differs, illa quidẽ
stabit, est ẽm supra petram condita: sed tu
stare diu nobiscũ non poteris. Sed dices, in
me tantum ne est vno? tantũ hercle SAmu
el, sustines nanq́ eius rei magnã pręter cę-
teros expectationẽ. Dedisti enim nobis, ve-
luti obsidem quendam tuę excellentis virtu-
tis: Episcopatum Plocensem, cui cum nuper
summa cum laude pręfueris, eò maiora ani-
mo de te homines concipiunt, quanto tu au-
ctior rebus omnibus factus es. Erant antea
in te, quę quidẽ in homine dicuntur bona,

 genus

genus primū illustre, quod ad autoritatē int[er]
homines valet plurimum, fuit etiam commē
datio vitę, magna industrię, summa doctri-
nę, quę fidem claris, & honoratis viris inter
homines conciliāt: iā ad hęc accesserūt opes,
& eius opportunitas prouincię, ex qua facile,
quę pro ecclesię salute cōceperis animo, pote
ris exequi. Me quidē bona spes tenet, res no
stras op[er]a tua breui fieri meliores quàm nūc
sunt: quo etiam est factum, vt hunc librū pro
ecclesia à me scriptū ad te mitterem, vt habe-
as quid de animo erga te meo statuas. Et q̃-
niam post tot eruditissimos viros, qui cōtra
M. Lutherum scripserunt, rem aggredior nō
tētatam mihi ante hac, peto abs te, vt de hoc
ipso sententiam feras, quicquid id est. Si em̄
tuo iudicio fuerit cōprobatus hic labor no-
ster, causa non erit, quin exeat in manus ho
minum, & legatur à multis. Sed iam ad insti
tutū reuertamur, doceamusq́;, si forte possu-
mus, Lutherum, Ecclesiā Christi, Vitēbergę
non esse: quod si illi persuadebimus, fa-
cile nobis ille con cedet cętera.

Quòd Ecclesia vniuersitatis nomen est, & quòd illa singulari non continetur loco.

principio

PRincipio illud ponendū videtur, quòd,
vt in hūanis artibus, ĩ q̃bus sunt causę,
& certę q̃si artis progressiones, quę hoc iure
sunt, vt si quis ab his dissentiat, illū aut remo
ueri ab arte, aut pingui, quod aiūt Minerua,
doceri sit necesse. Idem in diuinarū rerū stu-
dio obseruatur, in quibus omni ratione defi-
cimur, immò vero etiam magis. Si enim
minimarū artium disciplinę habent origines
suas, vnde proficiscuntur, quid statuemus
de rebus à sensu nostro remotissimis, quarū
Deus autor est, & quę in animos nostros
ita influunt, vt earū compręhensiones non
ingenij sint nostri, necq; industrię, sed arbitrij
& misericordię largientis Dei: quę quanto
maiores sunt, eo ex altiori quodam ducūtur
initio. Cum enim reliquarum artium prin-
cipia fidem omnem habent à sensu, tu in do
ctrina Christiana, nisi multa ponas inuito
sensu, ad cognitionem eius peruenire non
potes. Et ne longius abeam, molem hanc re
rum, atq; vniuersitatē de nihilo conditam
nos ponimus, Philosophi negant, idq; ratōe
refellunt, quorum tamen sententia damnata
est ab ipso deo, cui cōcedit omnis sensus, &
ratio: ex q̃ intelligi debet, autoritate pr̄cipia
doctrinę Christianę firmari non sensu, necq;

 ratione

ratione, quę tamē ipsa in cęteris artibus va-
lent plurimum: ab his enim proficiscuntur,
quorū instar in diuinarū rerum studio ipsa
nobis est autoritas. Quę quidē, si qs ex me
quęrat, cuiusmodi sit, dicā, & recte opinor:
illam esse simplicem quandā Dei vocem, ad
cuius pscriptum iuste, et pie viuamus in hoc
seculo, expectātes beatam spem, & aduentū
glorię magni Dei, et domini nostri Iesu chri
sti. Quę sanè Dei vox, partim nobis innote-
scit ipsis monumentis diuinitus conscriptis,
partim vero pręceptis, institutisq; maiorū:
quę ad nos vsq; peruenerunt tradita per ma
nus, quę tamē genere ipso, atq; pondere pa-
ria sunt cū his, q̄ prodita sūt scripto. Hęc em̄
ex contraria parte sibi respondent. Sicut em̄
oratio scripturę est exemplum, ita scriptura
aliud nō est, quam oratio scripta. Itaq; vete-
res illi à Mose, & recentiores isti à Christo
profecti, multa litteris posteritatis memorię
prodiderunt, pleraq; reliquerūt in pręceptis:
quę sequens semper à priore caperet ętas. A
quibus dissentire non secus, quā ab illis, quę
conscripta sunt, nobis fas non est. Eadē em̄
hęc sunt cum illis, immò priora etiam: quòd
illa charta, & atramento, hęc vero mente, &
voce viua continentur. Quę nisi pcessisset,
scripturas

scripturas omnino nullas haberemus. Nam
nisi illi audiuissent prius, deinde docuissent,
qui postea scripserūt, quid quęso esset quod
scribendum putares? ex quibus tamen ipsis
multa illi scriptores libris, plura auditorum
memorię ac fidei cōmendabant. Quamob-
rem hoc iam maneat, quod mutari non po-
test, & vnde necesse est omnem hanc dispu-
tationem proficisci, omnem videlicet rationē
religionis nostrę diuina autoritate cōtineri,
illamq; partim scripto nobis tradi: partim ve
rò sine scripto pręceptis maiorum. Quod ve
rum esse cum ex his patet, quę iā diximus,
tum vel in primis ex ipsis rudimentis nostrę
confessionis, post illam enim confessionem
qua spiritum sanctum verum Deum con-
fitemur, viuificantem nos & loquentē no-
biscum per prophetas, magna ratione sub-
iungitur Ecclesia sancta, hoc est, piorū coe-
tus. Quorum verborū hęc vis est, quòd san
ctus spiritus loquatur nobiscū per hęc duo,
electa veluti quędam instrumenta, per scri-
pturas videlicet prophetarum, & per ipsam
Ecclesiam, hoc est per scriptam, & non scri-
ptam in ecclesia suam vocem. In qua manēs
fungitur illo suo munere: cū quidem mun-
dum hunc nequam testimonio scripturę, &
B v ecclesię

Ecclesię ore, reum facit peccati: cũ Christum iustitiam nostram esse apud Deum pronunciat, cum nos denicꝫ docet iuste, et pie viuere in hoc sęculo. Et quoniã Deus opt. max. omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis venire, necesse etiã est, vt nulla pars sit orbis, in qua spiritus sanctus non loquatur cum humano genere per prophetas, & per Ecclesiam, hoc est, per scriptas & nõ scriptas voces suas. Nulla igitur terra tam abdite latebit, nulla gens barbara tam remota erit, quę nõ sit ipsius Ecclesię passibus peragrata, & quę se ab ipsius calore (vt canit Dauid) abscondat. Quod cũ ita sit, quẽ locum habebit illa quęstio, quam quidam nuper de Ecclesia attulerũt: vbinam illa videlicet sit, & penes quos sit? Quę hoc loco minime à nobis est prętermittẽda: est enim periculosa, cum quisqꝫ ad inuenta sua nomen Ecclesię accomodat, & in his partibus, quas quisqꝫ tuetur, & sequitur, Ecclesiam esse asseuerat. Grauis error inprimis, qui odijs, atqꝫ dissidijs, diuina atqꝫ humana peruertit, cũ sublata certa autoritate quam sequamur, temeritate regimur, & ad eam partem plęrũque applicamur, ad quã nos nõ ratio, necꝫ cõsiliũ, sed vis seditiosorũ hominũ detulerit.

Eripiendus

Eripiendus ergo hic error est ante omnia, ac certum quasi signum dandũ, ad quod se homo dei recipiat. Neque etiã est permittendum, vt auida nouarum rerum plebs, ex ꝓprijs sedibus, veteriqꝫ sua patria, in nouas quasi transferatur colonias, easqꝫ peregrinas cõmigret. Quod cum aliàs sępe, tum vel inprimis hoc tempore pro virili faciendũ est, cũ quidam Ecclesiam Christi amplam, & longe lateqꝫ patentem, quasi contractam quandam possessionẽ, & adductam in angustum, certo non loco solũ, sed etiã tempore diffiniunt. Sic eñ statuunt Ecclesiã penè mortuã intra annos plus minus viginti, quasi denuo Vitembergę reuixisse. Quod si nobis persuadetur, de cęteris prouincijs quid fiet, quę omnes vno, & eodem nomine Christiano continentur? quid Gręcia dicet, cuius fundamẽtis nixa primum Ecclesia erexit se, & inde in uniuersum orbem terrę ꝓspexit? Iam vero Italia, quam laudẽ habebit, quòd vrbem Romã, atque ipsa oppida, vicosqꝫ suos, cęsorum hominum pro Christo corporibus compleuerit? Germania aũt atqꝫ ipsa Vitemberga nõne ab illis profectę omni pietatis quondã laude floruerũt? Quam nũc ò dij boni, isti pro beneficio referunt gratiam?

cum nõ

cum nō ſolum beneficium nō agnoſcāt, ſed
etiam infamant maiores ſuos, illos qui omni
dignitate ſpoliant: Denique ſi à mari ad ma-
re & vſque ad extremū terrę dn̄atur Chri-
ſtus, & ſi reuertuntur ad dominū vniuerſi fi-
nes terrę, et adorāt (vt vaticinat⁹ eſt Dauid)
in conſpectu eius vniuerſę familię gentiū,
videat ne nimium arroganter Lutherus ſibi
vendicet eccleſiam, & ab ea nos excludat,
illamq́; ne quo caſu forte ad nos ſerpat, mu
ro etiam claudat Vitembergenſi. Quod ſi
facere pergit, diminuit Chriſti regnum: atq́;
ita in anguſtum contrahit, vt ſola Vitem-
bergenſis familia, ſit omnes familię gentiū:
vniuerſi etiam fines terrę in exiguis Vitem-
bergę includantur finibus. Quid vero, quòd
alia etiam addunt grauiora, dicunt enim nūc
demū orbi innotuiſſe verum, idq́; Lutheri
opera. Cęcū itaq́; hac ſententia genus hu-
manū fuit, cui M. Lutherus nubē ex oculis
ademit in vita, vt Pallas olim Dyomedi in
pugna. Sed ſit ita velim. Illud ex te ſcire a-
ueo ò noſter Luthere, ſi verum hoc tuum
ita abdite latuit, quomodo eius veri autor
Chriſtus nobis notus fuit? aut ſi etiā is ante
te erat ignotus, quomodo in Iudęa notus, &
in Iſrael animis continuo ſeſe expientibus
magnū

magnum fuit nomen eius? Sed ne hoc qui-
dem valeat, Illud autem quo pacto dilues?
Chriſtus manſurum ſe nobiſcum hinc abi-
ens pollicetur ad ſupremā vſq́; mūdi diem.
Manſit igitur nobiſcū, notus ergo fuit, non
igit̄ latuit. Neq́; etiā hoc ipſum verū, cuius
inuentorē te eſſe dicis, nūc primū in lucem
duce te prodijt. Sed nimis fortaſſe vrgeo in
re minime dubia, cum illud tibi pro tuo acu
mine ſufficiat. Si Vitembergę tantum not⁹
eſt Chriſtus, Vitembergę eccleſiam tātum
ponas neceſſe eſt: quod ſi fit, fallitur Dauid,
qui quatuor mūdi plagis definiuit eccleſiam:
ſi vero iiſdē quibus orbis terrę eccleſia regi-
onibus continetur, Vitembergę Ecleſiam
nō eſſe concedas oportet, quę palā à comū-
ni omnium gentium cōſenſu deſciuit. Vtrū
horum velis ſumas, non pugnabo tecum.
Vides quàm humaniter tecum agam, vt ei-
us hoſpitij, quod mihi olim tecum fuit, ratio
habita eſſe videatur. Sed tu hoc loco clama-
bis, in dignum facimus, circumueniri te, &
cauſam tibi eripi: quod cum tu idem quod
ego, nuper tamen admodum: de Ecleſię v-
niuerſitate ſentias, ego Vitembergę tantum
eccleſiā te ponere conor oſtēdere: quaſi vero
quid tu dicas, nō quid ſentias nobis ſit atten-
dendū. Et ut

dendum, Et vt hoc crimē tuū esse agnoscas,
explicabo cōtra te, capita libri tui, ex quibus
hoc sequitur, Ecclesiam aut nusquam esse,
aut penes vos tantū esse Vitebergę. Tu Pon
tificem Romanum idolatram vocas, nullū
ius illi in Ecclesia concedis, ac ne locū quidē,
Cardinales Hermophrodytas, Episcopos
nostros Sycophātas, cęteros omnes, qui hos
sequuntur scholā Sathanę, ac lernam malo-
rum appellas. Num quid hic muto? nū quid
addo? nihil vt vides: tua enim hęc sunt ōnia,
in his cōsumitur omnis tui libri sermo. Vi-
de nūc quęso, quantę res hisce capitibus cō-
ficiantur. Omnis nos turba, & plebs Ro-
mana, schola sathanę autore te sumus, non
igitur sumus ecclesia Christi, neque pars ei-
us, quid enim huic cōmune cum Belial, &
ob id neque spiritum Dei habemus, cuius
domiciliū sola vera Christi est Ecclesia, Quē
si ex nobis tollis, nullum prophetam, nullū
Apostolum, nullum postremò apud nos
relinquis Euangelistā, quos à Christo suę
dari Ecclesię scribit Paulus. Hos ergo qui ad
nos à pontifice Romano mittūtur, pseudo
prophetas, pseudo apostolos, pseudo euan-
gelistas esse confitendum est, quòd hi mittā-
tur ab homine Idolatra, & à crucis Christi
vt tu

(vt tu vis) hoste. Audi nūc Luthere, quanta
diminutio Eclesię Christi hęc tua sententia
sit facta. Nos tuo arbitratu schola sathanę hi
sumus, Sarmatę, Vngari, Illyrij, Gręci, Ar-
menij, Itali, Hispani, Galli, Angli & breui-
ter Europa, Africa, Asia. Germaniam ex-
cipio, quam tu spe atque opinione vis tuam
esse. Si igitur tot gentes atqꝫ natiōes ecclesia
tibi esse non videmur, nusquam igitur alibi
gētium est Ecclesia quàm Vitebergę. Hoc
loco pede pulsanda tellus, & vsurpandū est
illud vetus. Audis hęc Augustine sub ter-
ram condite. Nam quod te non fugit, idē
olim ponebat Donatus in sola Africa, quod
tu nūc in Germania: aduersus quē cōplures
sūt Augustini libri, quē tu meritò laudas, sed
non imitaris tamē, vt mihi quidem videtur,
Quid hoc loco dices? an illud, quod soles?
omnes qui sunt Latini nominis esse impios,
& scelestos ac nepharios, Grecos autē esse
partium tuarum, & eos qui sequuntur Gre
cos, quales sunt Moschi, amplissimū & la-
tissimum regnum, qualis Russia est, huma-
nissima, & charissima mihi patria, mitto ali-
os. Pro quibus hoc tibi breuiter respondeo,
illos rebus omnibus abs te dissentire: quod
mihi cū ex consuetudine ipsorum Grecorū,
quibus

quibus cum vixi notū est, tum vero quod ī Russia natus sum: quę sacris, Gręcis semel acceptis ad hanc diem viuit: vt mihi minime opus sit fingere. Quibus cū vide, vt tibi conueniat. Purgatoriū Gręci, & Rutheni ponunt, ex sacramento altaris panem, & vinū tollūt, ieiunant, diuos colunt, inter pręsbiterum, Episcopum, Metropolitam, Patriarcham magnum, ponunt discrimen: quę tu partim confundis, partim verò ex rebus tollis, vt tibi cum his commune sit nihil. At nō obediunt Romāo Pontifici: Erras Luthere & ipsius Eclęsię rationem ignoras, Quòd quidem bona tua uenia sit dictū. Nam tota Eclesia in quatuor ordines descripta, decreto patrum, quatuor sunt in Eclesia constituti cū summa potestate, quasi quidam ipsius Eclesię patroni (quos Patriarchas vocamus. Quorum Romanus primum tenet inter hos locum more maiorum, Byzantinus secundū, Alexandrinus tertium, Antiochenus quartum, Quos cū ad hanc diem Romanus fratres, et collegas appellet, conueniūt primum ipsi inter se vno ęclesię sēsu: Deinde ex autoritate patrū, pars quęlibet Patriarcham habet suū. Lege quęso Luthere Concilia vetera in Gręcia habita, id quod facis

facis, & hoc Florentinum posterius, cui Eugenius pręfuit, inde descriptionē hanc Ecclesię cognosces. Quare non est Luthere quòd te cū Gręcis congreges, diuersum isti à te & docent, & sentiunt, apud quos vt tua damnetur secta, execrationibus publicis sancitū est. Nec Gręci soli ī te tales, sed ex reliquis quoq ordinibus, vt sunt Armenij Anthiochenses, quorū in Russia magna est copia, quorum nuper mysteria protulit vir doctus inprimis, ac pius Andreas Lubelczik apud Leopolim, metropolim Russię Concionator. Chaldęi item, atq Indi, quorū Ecclesias Romę sub Vaticano vidisti, sitas Alexandrino ritu, qui omnes abhorrent ab institutis, & decretis tuis, nobiscum autē, qui Latini sumus, ritu dissentiētes, re ipsa omni ex parte conueniunt. Quamobrem si tu Gręcos, Armenios, atq Indos in Ecclesiam recipis, Romanos quoq in Ecclesiam recipias necesse est. Si vero Latinis exclusis, istos retines, causa tibi dicenda est, cur illi abs te retinentur, isti vero excluduntur. Exclusus hac criminatione Lutherus, cum tueri secus causam non possit, generatim nobis omnes cōcedens, qui nobiscum consentiunt, priuatim tamen inter hos dicit pios suos latere, quos

C ille

ille nomine Ecclesię comprehendit. Iam hoc diuinare est sint inter nos illi nec ne. Quorũ cum tanta sit paucitas, vt nusquã inter nos compareant, videat Lutherus, ne nobis liceat magis negare, quã illi affirmare, vllos omnino inter nos esse, modi istius pios. Sed quoniam ille Mathematicorum more minima persequitur, & Ecclesiam suã quasi Democriti atomos nobiscum pmiscet, quęramus ab illo, putétne dici vllam Ecclesiam quę sacerdote careat? Scio quid hoc loco dicat, de quo post videro, negant patres, quibus potius assentiar. Cũ aũt in omnibus gentibus alij nõ sint sacerdotes pręter hos, quos Romanus Pontifex ad nos mittit, cũ quatuor Collegis illis, quos paulò antè cõmemoraui, sequitur aut hos legitimos esse sacerdotes, & non ab Idolatra ad nos missos, aut si omnes isti Idolatrę cũ Pontifice nostro sunt, Ecclesiam Lutheri inter nos dispersam, absque sacerdotibus esse. Et si ille quasi inter atomos latere hunc suũ sacerdotem contendat, vnũ è multis ipse demonstret, qui in Latio, in Grecia, in Aegypto, in Antiochia, à nullo Patriarcharum missus, sacra ad morem Lutheri procuret, neminem profectò reperiet. Ex quo satis liquet Ecclesiã Lutheri vniuersitatis

tatis nomine carere, in obscuro etiam, atque angusto loco latere, quod sanè non conuenit Christi Ecclesię, vt iam satis est ostensum. Quę cum ita sint, habeat sibi suam Ecclesiam Lutherus, nos sequamur nostrã, in qua suscepti, Christoque semel dicati sumus, i qua etiã verè nobis gloriari licet, nos, cum omnibus gentibus omnium linguarũ, atque nationum conuenienter in Christo viuere. In qua habemus prophetas, per quos nobiscum loquitur Deus, habemus Apostolos, quibus paremus, habemus Euangelistas, à quibus docemur, in qua denique Ecclesia illam autoritatem veterem integram conseruamus, quę per manus à pręcedenti sęculo tradita est nobis, quam vocem Dei esse nõ scriptam, supra docuimus. Quam qui ex Ecclesia tollit, magnam sanè pietatis partem tollit, tum etiã apertè ipsi aduersatur Deo, qui nos iubet interrogare patres, vt ea nota faciant nobis, quę his olim pręceperat Deus. Ponamus igitur nos hanc Ecclesiam esse veram, & legitimam, & quidem repugnante Luthero, quã nobis maiores nostri reliquerunt, & in qua mortui, ac sepulti ipsi sunt, ad quos vt aggregemur, & vt in sepulchro illorum condamur, precari debemus.

mus, hācq̄ nos defendamus velis (q̄d aiunt) et equis ad extremū spūm, neq̄ nos moueāt corrupti deprauatiq̄ mores eorū, qui Eccle siȩ p̄sunt, quandoquidē Christus homini- bus curā de nobis, nō Dijs esse voluit. De quo tamen ipso, ex sequenti- bus magis apparebit.

Quòd Ecclesia nō sit existimanda ex moribus eorū qui sunt in Ecclesia. Cap. III.

QVòd si ex me scire vis Luthere, cū Vi- tembergȩ Ecclesiam esse minime pla- ceat, quȩ tandē illa sit, qua ego veluti qua- dam certa domo cōcludi putem omnē Chri- sti familiam. Res hȩc dificilis est ad explicā- dum, & haud scio an omnium difficillima, Si enim, quid perfectum sit, quȩrimus, non facile sane reperiemus quē ad Ecclesiā esse idoneum putemus. Nam quamdiu sumus in his inclusi compagibus corporis, vitiosi sumus, nec prius quàm animus corpus, nos vitia deponimus, vnde liquet in vnum hac lege cōgregari nos, vt cum alij plus, alij pec- cent minus, omnes tamen rei simus peccati. quid

quid enim sibi aliud volunt illȩ cœlestis re- gis nuptiȩ? quid sagena missa in mare? quid collecti pisces? quàm vt harum rerum simi- litudine doceamur, in Ecclesia bonis malos admixtos esse? Quam si tu ob id deseras, nō hercle intelligo, quem in locum, vacuum ma lis, te recipias, vt in eo ȩtatem degas. Iccirco nobis, qui vitȩ domicilium in Ecclesia collo cauimus, perferenda sunt omnia, etiam illa, quȩ vt probra nobis obijcit Lutherus, qui- bus carere vita nostra nequit, quādiu est in hac colluuiōe, atq̄ turba: quȩ tamē ipsa, ea moderatiōe animi, & ȩquitatȩ mutuo à no- bis sunt ferenda, vt quod tu hodie mihi, idē cras ego vicissim tibi condonem. Atq̄ ex hac mutua venia coalescit ecclesia, ȩternaq̄ est. Quòd si tu de altero omnia postules, de te vero ipse omnia recuses, totusq̄ foras p̄- minens ipse ad te non respectes, nihil tibi vi- debitur moribus nostris corruptius, nihil tri stius, neq̄ tibi tantum id videbitur soli, sed etiam his, in quibus nulla suspicio Christi est. Quis enim est, qui mores, vitamq̄ no- stram contemplatur, qui non grauissime of- fendatur? & qui nihil minus putet, quàm no bis vllum cum Deo esse commercium? Et si is non penitius res nostras introspiciat, sed

 quasi

quasi aream quandam paleis oppletam, vitā-
nostram eminus aspiciat, neq; ibi quoq; la-
tere grana cogitet, abibit nedum irridens, sed
etiā ipse damnans, quod putarit vllā nos ra-
tionē honesti ducere. An non hoc ita puta-
rent Stoici? Diogenes etiam, si in foro me-
dio lucente tum sole, cum lucerna hominem
quęrebat inter homines, quo is tandē studio
quęsiturus fuisset grana inter paleas? Sed
quid ego alienos homines profero? Cum
ipsum te Luthere nihil aliud alienarit à no-
bis, quàm corrupti nostri mores, quibus in-
fectum ordinem nostrum cum videres, non
tulisti cōmunem infamiam, sed quasi quidā
morosus seruus, cōseruorum non ferens in
eadem domo vitia, deseruisti nos, vnà cum
domo, req; herili, cui custodem te hinc abi-
ens reliquerat herus. At quanto melius fecis-
ses Luthere, si reditum domini expectasses,
qui, & te frugi seruum fidei collaudasset, &
conseruos tuos, qui te offenderant punisset.
Quod si tantum est tuum in alienis vitijs fa-
stidium, Vitembergam, atq; ipsam vxorem
tuam, quę quidē tibi debet esse charissima,
citò deseres, nam & isthic reperies, quod q̄-
dem tibi stomachū faciat. Quod si tu cogi-
tare olim voluisses, nos hic non cū perfectis
homi

hōīnibus, plenèq; sapiētibus viuere, tulisses
patienter mores nostros, ac tamdiu durasses
nobiscum, quoad serui nequam poenas re-
deunti domino, graues, iustasq; p̄soluissent.
Nunc verò, quoniā lentus nimis videbatur
tibi redire herus, cum ventilabro ad purgan-
dam areā, ideò ne nos reliquisti? ideo extra
paleam granum esse maluisti? quàm sub pa-
lea tutus esse ab auiū cœlestiū morsu? Nos
ergò hoc tuo tāto edocti casu, deplorabimus
quidem vitam nostram, dolebimus Dauos,
Gnatonas, Syros, impuros seruos, bonis de
pulsis seruis, in domo domini primum sepè
tenere locum. Iam quanto illud deflebimus
gemitu, quòd bona absentis domini, quasi
manubię hostiū, prędaq; populi Romani,
hasta interdum posita, medio frequēter ven-
dantur in foro? Sed is tamen dolor, quantū-
uis magnus, iustusq; sit, nunquā nos ex fa-
milia, expellet herili, nunquā ex ea domo eij-
ciet, in qua vt permaneamus, nobis abiens
pręcepit herus: ex qua cum nos euocas, ini-
què facis, quod nos pro seruis, fugitiuos dici
vis, illosq; insultas: SERVI NEQVAM
ANTIQVAM DESERITE DO-
MVM: quin tu potius vertis istam vocem,
& dolens: O domus antiqua quam dispares

 prioribus

prioribus nunc capis seruos. Grauis quidem erit nobis huiusmodi vox tua, sed tamē non inutilis, quod nos ignauos seruos, aliorūq; locorum ac regionum insuetos, ac nimium domesticos, integra re vti voles, domoq; herili, qua & alamur, & contra omnem vim protegamur cœli. Hac moderatione Luthere, si tu vitia nostra reprehendisses, Ecclesiā certè quidē integram nobis præstitisses, neq; ea loco mouisses, sine quibus illa stare neqt, in qua sat rectè à nobis viuitur, si pro virili munus officij exequi, ac tueri possumus, etiā si longe absimus à perfectis. Neq; enim nos omnes possumus esse Petri, aut Pauli, aut Barnabę, vt aliqd illis simile nos gessisse in ecclesia recordemur: hac mediocritate vitę simus contenti quam nobis Deus præscribit, ita etiam veterum hominum prętantiā admiremur, ne ipsi ob humilitatem nostram desperatione frangamur, quod illis virtute pares non simus. Perinde eñ est ac si Radiminius Polonus Athleta inclytus, & arenā & curriculū deserat, quòd Miloni Crotoniatę, nobili olim in Gręcia athletę, par lateribus, & lacertis non esset: cū huic tamen ipsi satis esset ad gloriam non succubuisse, quibus cū contendebat in lucta: conferriq; se is volebat, non cū

nō cum Milone, tot sęculis ante se mortuo, sed cum his, quibus cum in arenam descendebat. Sic nos iactemus sanè veterum hominum Ecclesiam, sed ita tamen tueamur nostram, vt in hac quę nunc est, nō in illa, quę olim fuit aliquo numero simus. Quod si faciemus, ęquiores iudices erimus Paulo tertio: neq; continuo hunc Idolatram dicemus, quod is Hieremię prophetę, aut Ioanni baptistę, vitę innocentia par non est. Est enim hęc contentio hominum ipsorum, atq; morum: in quo multum valet natura, non parum exercitationes virtutis, plurimum verò ipsorum temporum disciplina, quorum successiōe nescio quomodo sensim degeneramus: ita, vt consequens ętas, antecedente semper fiat deterior. Non libet immorari hoc in loco diutius, perspicuum eñ est, vel ex ipsis senibus, qui alios senes cōmemorantes, illorū sęculum suo anteponūt. In natura ergo maxima ex parte hęret mobilitas ista morum: vt non tam ea eueniat hominum ipsorum vitio, quàm eius necessitatis, cuius, quā diu hic sumus, graui opere perfungimur. At si tu non hominū inter ipsos, sed ipsorum offitiorum ac munerum facias contentionem, reperies sine dubio, Paulum tertium plus in

 ecclesia

Ecclesia valere, quam aut Hieremiã aut etiã ipsum Ioannem baptistam, neutri enim horum tantũ erat mandatũ, quãtum huic vni. Petro verò ita par est hic in officio Pontificali ac munere, vt nulla in re ab illo superetur. Intersit ergo aliquid inter homines ipsos qui in Ecclesia nũc sunt, & qui olim fuerũt, autoritas eadem maneat vniuersorũ. Quòd si hoc nobis persuadetur, non faciemus nouas sectas, neq; alias quęremus nobis Ecclesias, corruptorum morum gratia, mores etiã nostros inuicẽ feremus patienter. Et si quid in his delinqtur, alter alterius onus ferat: id quod Diuus pręcepit Paulus. In eoq; imitemur veteres illos diuinos homines, vitę modo atq; constantia, ita, vt neq; ipsi abducamur ab Ecclesia, neq; alios abduci sinamus. Quod vt eo commodius faciamus, formam eius Ecclesię atq; descriptionem semper ante oculos habeamus, quam iam proponam. Petamq; ab omnibus hanc veniam, qui hęc legent, ne quid pĩudicati huc adferãt, sed ęqui sint iudices. Et, quòd reddendis rationibus fieri solet, vt multa ratio aliter monstret pręter eam opinionem, quam ad rationem nobiscum domo adferimus, idem huc quoq; adhibeatur: vt non plus autoritas Lutheri

apud

apud lectorem mihi obsit, quàm quantũ me errare res docuerit ipsa. Et quoniã in rebus obscuris, atq; difficillimis versamur, explicemus sane, id quod causam facit, via trita & modo notiori nobis: vt ne in icerto, vagetũ omnis hęc disputatio nostra.

Quomodo cognoscatur vera Christi Ecclesia & de primo signo cognoscendę Ecclesię Ca. IIII.

Ecclesiam quidem esse confitentur omnes, sed quę nam illa sit, non omnibus idem videtur. quidam enim ad paucos priuatos eam redigunt, quidam hos per se nisi accedat sacedos, Ecclesiam dicunt non esse. alij vero, quorum sententia vicit, ipsa vniuersitate, ac orbis terrę consensione Ecclesiam definiunt: nam illę duę priores omniũ iudicio sunt explosę, angustiores eñ sunt, quàm quę Ecclesiam capiant. De quibus abundè à nobis superius est disputatum. De hac igitur Ecclesia nos agemus, quę complectitur vniuersos: quam ita Christus adamauit, vt ipse in se illã fundaret. Cũ eñ ipsam ęternã perfectamq; esse vellet, non alieno fragili in

loco

loco, atq; caduco illam collocauit, sed in petra solida, petrę nomine se ipse compellans. ex qua nimirum petra illud incuruiceruicū Iudęorum pecus bibit, olim aquas viuas, quibus tamē illam longam sitim explere propter perfidiam non poterat. quę postea aquę ab illis manarunt latius, ac in nos quoq; redundarunt, quos aridos, ac siti perditos recrearunt, atq; refecerūt. Ex hac enim petra minime arida, minimeq; dura, suppeditatur nobis ille cœlestis humor, quo vigemus, mouemur, vitam postremò ac spiritum ducimus. Ex hac eadē petra excussi sunt illi diuini ignes Fides, Spes, Charitas: quibus ardemus, vt placeamus Deo. Deniq; hęc est illa petra, quam Deus non alienis opibus, sed suis pręsidijs niti voluit, vt fidele esset fundamētū suę Ecclesię: absque quo omnes illę, quamuis firmę substructiones, corruūt, ac dilabūtur. Quid enim est preterea cui innitamur? in rebus humanis certi est nihil: ementita, caduca, fragilia sūt omnia, vt nihil sit, quo alio fidamus quam hac sola petra, Christo Iesu Domino nostro, qui solus firmamentum est omnis vitę nostrę, qui ab interitu seruauit nos, qui nos ab inferis mortuus, & ad vitā reuocauit viuus. hic nobis in patriam patefecit redi

cit redi

cit reditum, hic pacem conciliauit nobis, hic nos ex inimicis amicos, ex alienis filios charissimos Deo fecit. Et vt in nos amoris sui certum extaret pignus, Spiritum sanctū nobis est largitus, vt non solum hoc monitore beneficiorum illius memores essemus, sed ut hoc eodem adiutore cū velimus, tum etiam possimus iuste, & pie, viuere. Tanta copia est huius petrę, tanta vbertas. vt hęc laus sit illi propria, cuius socium illa non habet, cum quo hanc laudem communicet, totum enim hoc quicquid nos sumus, quantumcumq; sumus huius est petrę, Christi Dei nostri. nihil sibi ex hac laude Petrus, nihil Paulus, nihil Iohannes decerpit. Quin eciam omnes res conditę, quę sensu, rationeq; vigent, hāc laudem soli Christo domino concedunt, illiusq; esse totā & propriam confitentur, quę sanè confessio tantum habet ad pietatem momenti, vt Petrus ipse Galilęus ex diuinitate huius nomen inuenerit. Cum enim antea Simon nomine patrio, Andreę aūt frater vocaretur, interrogatus, Christum filium Dei esse cum esset confessus, pro Simonis, Petri tulit nomen, potestatēq; accepit, qua in Ecclesia facile esset princeps: tantum illi hęc confessio profuit, vt non iniuria nos quoque

describe

describere Ecclesiam aggressi, inde simus potissimum exorsi, vnde ipsa Ecclesia oritur. Sequamur igitur, Ecclesiamq́ ipsā ab hoc illius diuino ortu perducamus ad extremū. neq́ id sanè ita faciemus, quod plerīq́ viri doctissimi fecerūt, qui Ecclesiam autoritatibus noui & veteris testamenti ita definiunt, vt eam tamen capere plebs nō possit: cum cōtrà deceret, de rebus popularibus, populariť agere: omnis enim hęc Christi disciplina, accōmodata est ad vulgi sensum, non ad eorum, qui inflati sunt magisterio. Quę igitur sunt causę Ecclesię, siue formales, siue finales, relinquātur hęc sanè viris eruditis: nobis, qui doctissimi non sumus, huiusmodi signa sufficiant, quę cuiusq́ rei mōstrant naturā, in quibus non dissentit plebs à philosopho. Ex his ergò nos colligemus quę sit ecclesia, nō illa huius pellex & æmula, sed hęc sponsa legitima, quam sibi Christus Iesus crudeli nece despondit. Sumamus itaq́ quę tradit Matthęus, & quidem ex eo loco, vbi Christus cōfessionis ergò pollicetur Petro, primò, quòd supra petram ędificaturus esset Ecclesiam, deinde quòd claues regni daturus est Petro, postremò, quòd nulla inferorum vis aliquid contra Ecclesiā esset valitura. Sunt

ergo

ergo in omni ratione ecclesię, hęc quatuor iūcta simul, est petra, sunt claues, est Petrus, sunt inferorū portę, ob quam etiam causam, quadripartita erit diuisio huius disputatiōis nostrę, cuius diuisionis partes, quid valeant singulę consideremus. Ex his enim quid Luthero pro ecclesia sit respondendū nobis apparebit. Petram quidem ipsam primū tenere locū, cū de Ecclesia disputatur, perspicuū est. Nam qui petram, cum Petro non confitetur esse Dei filiū, in Ecclesia non est, tollit enim fundamentū, quo sublato, vt iam docuimus reliqua stare non possunt. Hoc itaq́ principio est à nobis ponendū, Ecclesiam nimirum ipsam habere fundamentum suum firmum, verum & fidele, Christum Iesum dominum nostrum, quo nititur omnis piorum cœtus: quod ita proprium, aptūq́ est Ecclesię, vt si quis pręter hoc ponat aliud, eum aberrare à vero sit certum, neq́ in ea ecclesia censeri, cuius fundamentum est ipse Christus. Cum enim ecclesia viuat, viuum quoq́ fundamentum habeat oportet, vnde vitam ipsam ducat. Quod si quis aliud per tenui similitudine collectum, pręter id quod iam est positum, fundamentum ecclesię ponat esse, tale cum alterius sit generis, facile

conuincitur

conuincitur alio modo quodam fundamen
tum dici, quàm est hoc à nobis dictum. Fu-
erunt enim multi graues in primis, qui cum
Petrum Galilęum in Ecclesia pręstare vel-
lent, in Petro ędificatam esse ecclesiam dixe
runt. Tamen cum hoc constet qua ratione
ab illis viris sit hoc de Petro dictum, Petra
Christus non mouetur suo loco, hac ista
sententia. neqꝫ fundamenti nomen amittit.
In quo nisi ipse q̃qꝫ Petrus semel erectus,
postea rectus semper stetisset, abijsset et ipse
dubio ꝓcul cũ Iuda proditore in scelerato-
rum sedem atqꝫ regionem. Verum cum ille
mansisset, ex hoc isto fundamento, quo de
agitur, arduo, & celso, in cœlum ascẽdit: vbi
perfruitur illis beatorum bonis, quę Deus
pręparauit diligentibus se. Proinde quod ve
teres illi, quorum Origenes princeps fuit, in
Petro positam Ecclesiam esse dixerunt. Hoc
totum similitudine referendum est ad mini-
sterium, atqꝫ dispensationem Petri, qua is
in ecclesia sibi credita perfungitur. Vt enim
vulgo loqui solemus, regnum esse in Rege
situm, id autem est, in procuratione Regis:
ad eundum quoqꝫ modum cum Ecclesiam
in Petro ponimus, intelligere debemus, Pe-
trum esse procuratorem eius Ecclesię, cuius
fundamen

fundamentum verũ solus est Christus, qua
de re nos suo loco plenius dicemus, nunc tan
tum admonere libuit, ne quis fallatur illa ca
lumnia Lutheri, qua is nos ecclesiam, non
in petra, quę Christus est, ponere, sed in Pe-
tro mortali homine conatur ostendere: In
quo ille sanè copiosus est, omnibusqꝫ exar-
sit in nos maledictis, dum persuadet, eccle-
siam in Petro à nobis collocari, multaqꝫ in
eo loco comminiscitur, multa etiam inuidię
causa admiscet. Quòd illi vtiqꝫ facile fuit vi-
ro perito, & non temere maledico, sed ex
multo tempore omnibus rebus ad detrahen
dum parato, atqꝫ instructo: in quo ille ita
excellit, vt eum locum, quem consilio, & ar
gumento tueri nequit, calumnia, atqꝫ male-
dicto defendat: affingens quę non sunt, de-
mens quę sunt, singulis, quibus cum res illi
est, verbis mirificè ad tempus factis, aures de
mulcens contionis, quas tamen ipsas conui-
tijs onustas omni sępè veritate vacuas dimit
tit. Atqui ille, vt dixi, tum vel inprimis exul-
tat hac licentia, cum veritate deficitur, veluti
hoc in loco, reprębendens Ecclesiam nostrã,
in quos ille non fertur habitus, in quas nõ
mutatur formas: dum quidem non vi-
uos tantum nos, sed etiam mortuos illos re-

prehẽdit

prehendit, quòd illi in ea ecclesia sunt mor-
tui, cuius fundamentum non Christus est,
sed homo mortalis olim fuit Petrus, nunc
autem est Paulus tertius Pontifex Romanus.
Quę illius oratio grauis, & acerba, quo fa-
cilius in aures intret contionis, in Paulum
tertiũ omnes aculeos maledictorum cõtor-
quet. Quẽ vt omni apud plebẽ oneret inui-
dia, docet illum totã Ecclesiam ad suã ipsius
potentiam, hac ista interpretatione de petra
conuertisse, quam ipsius ille esse vult, quòd
videlicet Pontifex Romanus propterea pe-
tram se à Christo apud Matthęum vocatũ
dicat, vt in ipsius potestate tanquã in Iouis
sinu cuncta reponatur Ecclesia, quam ita in
manu Pontificis Romani Lutherus vult vi
deri, vt nihil in Ecclesia habeatur, ita sanctũ,
nec ita munitum, quod à Pontifice Roma-
no, vel mutari nõ possit, vel etiam abrogari:
quod vt illi fiat liberum, calumniatur Lu-
therus exemptum illũ esse ex omnibus con-
ciliorum vinculis, nihil in eo valere morem
autoritatẽq; maiorum, dominum illũ legũ,
autorem, & arbitrũ in Ecclesia nostra esse:
quem propterea etiam dicit à nemine iudica
ri, nullius illum stare iudicio, ne ipsius eccle
sie quidem, quã omnibus rebus inferiorem
esse

esse de nostra sentẽtia vult videri: mitto alia
infinita probra, & maledicta, quę huc ille
confert, magno cum imperitorũ applausu,
dolore autem bonorũ omnium. Qui tamen
quàm verè ac merito nostro id faciat, res lo-
quitur ipsa, quę facile refellit Lutherũ, apud
aures pręsertim pias & eas certè, quę vitiatę
non sunt dictione Lutheri. Quis enim hoc
cuiusmodi sit non intelligit? Aut quis puer
in ludo tam tardus fuit, qui denominationes
illas rerum, quas Grammatici appellant, quę
sint non intelligat? sic enim in ludo puer à
petra appellat Petrum, vt à Grãmatica, Grã
maticum: vt ille, ab hac, non hęc, ab illo no-
men capiat: vt nos in re tam puerili minime
conueniat errare, ita, vt nisi Lutherus admo-
nuisset, nos Petrum non esse illam petram,
nesciremus, quę salus est, & firmamentum
eius Ecclesię, cuius pars est & ipse Petrus.
Iam vero, si rem ipsam spectes, quis feret Lu
therum? aut quis huic ignoscet tam proter
vè maledico? cui parum fuit nos omnium
honore priuare conari, nisi etiam nobis pro
benigno pastore, veroq; Christi Vicario,
nescio quem rapacem Verrem, crudelemq;
Neronem pręficeret, sententias falsas nobis
affingens, & ab omni nostro sensu alienas.
ij Neque

Neq; enim nos putamus, Christum domi-
num omne hominum genus, omnium gen-
tium res, vitam, salutem deniq; omniũ no-
strum, huiusmodi homini commisisse, cui
hoc sit persuasum, illum absq; iudice viuere,
nullis legibus teneri, nullius sceleris reum
vnquàm fieri, qui omnium mortaliũ sit ita
exlex, vt is pro libito solus viuat vt velit.
Apagete vos cum tali Pontifice: vestra sunt
ista tuaq; inprimis Luthere, non nostra, qui
absq; lege viuis, nullum iudicẽ revereris, nul
lam pœnam metuis, quin impune viuas. Se-
cus apud nos est, alio statu, alio iure, in Ec-
clesia nostra est Pontifex Romanus, quàm
tu fingis: qui subiectus est primùm ipse Ec-
clesię vniuersę, deinde ex illius pręscripto
singulis pręest nobis: in ꝙ corrigẽdo, cũ opus
est, valent omnes Ecclesię ordines, neq; illi
conceditur, vt ille more tuo negligat Eccle-
siam, spernat autoritatẽ maiorum, pręcepta
etiam Dei, vt tu vis, contemnat, vt omnia in
ipsius vnius potestate vicę vertantur. Neq;
enim nos in vnius mortalis anima tantum
ponimus, vt illũ Deo exęquemus, id quod
tu nobis falsò imponis, nihil ẽm nos à Pon.
Romano humani alienum putamus, qui si
non alio, at saltim communi mortaliũ lege
errare

errare, falli, decipi facile potest: hoc nos de Pō-
tifice nostro sentimus, hoc idem etiam sen-
serunt omnes maiores nostri. An tu putas
veteres illos diuinos homines, qui hęc tanta
ex paruis fecerũt, in cõdenda Ecclesia nõ vi-
disse, quantum haberet res periculi, vnũ ho-
minem tot gentibus, per orbem terrę latè di-
spersis, atq; diuisis, pręficere, qui absq; lege
atq; metu pœnę viuat? Si enim singularis
homo priuatus, quem angustę domi res co-
hercent, vix vnus è multis reperitur, qui im
punitate proposita, intra fines officij sese con
tineat, tu maiores nostros, hominem auto-
ritatis summę, & potestatis, in omnium re-
rum affluentia, & copia, censes existimasse,
temperatè constãterq; victurum, absq; mœ
tu legis? Non est illorum sapientię error hic
Luthere, neq; prudentię, multominus etiam
constantię nostrę. Omnes licentia sumus
deteriores, quam vt in nobis coherceret
Christus, summam autoritatem penes Ec-
clesiam esse voluit, ad quam errãtem fratrẽ
iubet deferri. Qua quidem lege cũ Christus
absq; exceptione generatim omnes comprę
hendisset, maiores quoq; nostri hac eadem
ipsum etiam Pontificem Romanum teneri
volebant, quem in potestate Ecclesię esse de-

bere

bere censebāt. Quemadmodum in Damaso olim Pontifice, in Gregorio item atq; Eugenio & in quampluribus alijs memoriæ proditū est. Vnde liquet in ipsos quoq; Pontifices Romanos Ecclesiæ suum ius esse, ad cuius præscriptum illi viuant, & cuius autoritati in omni ratione, atq; administratione Ecclesiæ pareāt. Quamobrem tollatur mihi ista de medio calumnia, quæ quā sit præpostera, ac peruersa facile existimari potest, vt nobis argumentis pluribus ad eam refellendam non sit opus. Sit tua Ecclesia Luthere, si videtur, in te ipso tibi sita, nostra certè supra petram in perpetuum condita maneat. Quam quidem petram nos cum Paulo pro Christo domino vbiq; accipimus: à qua etiā appellatum volumus esse Petrum, nō petrā à Petro, sicut neq; Christum à christiano: sic apud nos manent integra nomina, res etiam ipsæ conseruantur suo ordine, vt tu hoc Luthere aliquando intelligas, quàm vacilles, quamq; vagus in terra, ac profugus fies, cū quidem ab ea Ecclesia excideris, quæ sola totum Christum Iesum pro fundamento occupauit, in quo nos cum Pontifice nostro, Deo nobis propicio, persistemus, quem etiā in hac ipsa petra legitime collocabimus, cui ille

ille tanquam sapiens Architectus ita annitetur, vt omnis ipsius exędificatio, apta sit suo fundamento, & congruens: vt in omni procuratione illius, ac munere ius Ecclesiæ appareat: vt hoc patrono in Ecclesia valeant leges, stent decreta patrum, conseruētur etiā religiones, cū sciuerit ille summus, Ecclesiam à capite ad calcē, quod aiunt, ad solū ita ptinere Christū, vt is in illa pter ministeriū ac dispensationē munerū, nihil habeat præcipuū. Quæ cū ita sint, ponamus nos fundamentū Ecclesiæ esse Christū Iesum, in eoq;, ceu in qdā specula, collocemus Pōtificē Romanū, vt is in hac quasi custodia ita vigilet, vt neq; patiatur à Luthero perfodi domū Dei, neq; subruto fundamento quenquam per cuniculum intro in domum irrepere. Deniq; vt is pro ratione huius fundamenti, aptet ad id reliquam structuram, siue illa aurea, siue argentea fuerit, siue stipula, aut etiam palea: omnia enim conueniēt, adhibita moderatione quadam, & locorum, & personarum, & temporum. Sit igitur hoc primum signū Ecclesiam Christi esse, in qua viget ista Petri vox, Christus est filius Dei viui.

De secundo signo cognoscendæ Ecclesiæ, & de clauium vsu Cap. V.

Habemus iam primũ signum euidens cognoscendæ Christi Ecclesiæ, Petri cõfessionem. Sed hoc tamen videri potest signum commune nobis esse cum multis, etiã cum his, qui ad Ecclesiã non pertinẽt. multi enim fuerunt, qui cum hoc idem, quod & Petrus sentirent, in reliquo tamen toto cęlo (quod dicitur) errabant. Nam Donatus, & Pelagius, & qui ab illis sunt profecti, nunquam dubitabant cõfiteri Christũ esse filiũ Dei, tamen illi ipsi in maximis erroribus fuerunt, cum & Africæ finibus terminarent Ecclesiam, & cum semel ex aqua natos homines, iterum veluti renasci cogerent, Hi ergo cum idẽ ponerent in Ecclesia fundamẽtum quòd ponimus nos, vides quantis de rebus à nobis dissenserũt. Iccirco addamus alterum signũ priori, quod Donati Ecclesiam & cæterorũ secludat á nostra, & est legitimus vsus sacramentorum, sic enim dicamus, & quasi rei familiaris administratio quędam, certo constans ordine, modo, atque vsu. Quod quidẽ commodiori verbo significari non poterat, quàm est clauiũ nomine significatũ. Quemadmodũ enim in re familiari claues magnã habent vim, cum claudunt domum, & cum vicissim aperiunt ad tempus, cum res intus conditas conseruant, cum illas distrahi non sinunt, cum cellã penariam, vinariam, atque oleariam recludunt, vt inde promatur, quod familię suo loco, tempore, modoque detur, & breuiter quemadmodũ claues omnibus custodijs subiectam domum clauigero tradũt, sic etiam in domo Dei, quę Ecclesia est, illa ipsa legitima rerum omnium procuratio, quasi clauis quędam est, totam domũ, modo atque ordine intrinsecus cõseruans. Quod si experiri vis, quem tibi in tua re familiari, claues prębent vsum, remoue claues, nihil sit domi tuę clausum, sit liberum filio rem prodigere tuã, liceat etiã seruo vti penu cum volet, nulla postremo rerum in ędibus adhibeatur custodia, nõne hac via res tibi redibit cito ad restim? nõne tuum penu clanculum ad Thaidem, aut Glycerium, aut ad Chrysidem congerẽt cum Cherea Syrus, atque Dauus? Quod si in rebus tuis tãtum claues valent, vt illarum moderatiõe tua stet domus, quid has ipsas tandem in domo Dei valere

 putas

putas? cum ex prescripto clauium cum aliis
rem familiarem communicamus, cum alios
ab eius commercio excludimus, cum modo
hoc, modo illud certo tempore, apto loco, ho
mini idoneo sacramentum ponimus, atq; da
mus, cum hec ipsa non attingunt nisi qui de
bent, & qbus fas est. Ad hec vniformes sunt
he apud nos claues, vno & eodem sono sem
per circum claustra strepunt, non dispari, nō
discordi, sed vniformi, congruo, atq; ęquali,
vt ipso strepitu facile agnoscas, dominus ne
sit, an seruus is qui aperiat, ciuis an peregri-
nus, hostis an amicus. Hę sunt illę claues,
quas promissas resurgens Christus tradidit
suis, cum benigne in nos effusus omnem li-
gandi soluendiq; potestatem, aut totam trā-
stulit ad nos, aut certe communicauit nobis-
cum: ita vt quicquid nos hominibus pollice-
remur in terris, id ratum esset illis in cœlis.
Impius es, iniustus, periurus, nequam, denū-
ciatione certi supplicij clauditur tibi à me cœ
lum, si verò te cōmissi penitet, piget, pudetq;
cum tibi veniam peccati do, aperio tibi tum
cœlos, patent portę, ingredere. Iam verò ha-
rum rerum comites, atq; ceremonię, ritusq;
omnis, quàm aptus apud nos, & conueniēs
est, ita vt in eo neq; priora diuelli à posteri-
oribus

oribus, neq; posteriora prioribus possint ca-
rere. Descripta enim sunt primo mysteria
certo ordine, deinde curricula vitę Christi,
nostręq; redemptionis, temporibus definita
pari modo, distinctaq; habemus. Non alio
tempore Italia Christi gaudet natali, quā cę-
terę omnes extra Italiam prouincię, non alio
tempore ieiunia domini reprę sentat occidēs,
quàm meridies, boreas atq; ortus. Mors de-
inde secuta Christi, quàm vniformi, quāq;
insigni nos afficit luctu? mutamus tum ve-
stem, nudamus templa, obmutescunt ęra, in-
uertitur ecclesię vox, & quodammodo rau-
cescit ob luctum, dum tristes domino persol
uit inferias, ita, vt vel ille ferreus, hęc aspici-
ens commoueri queat. At quanta post tridu
anum illum luctum consequitur lętitia? lęti
tum redeunti domino obuiam prodimus, &
quasi comitamur triūphantē, sumimus pro
pulla vestē candidam, recipimus sonos, in-
tendimus vocem, nouam postremò oris, in-
cessus, habitus sumimus figuram. Iam verò
cum eundem, quem modò, afflictum mor-
tuum, reducemq; vidimus, in cœlum etiam
ascendentem omnibus votis prosequimur,
quibus tum lętitijs incedimus? vt exultamus
gaudio? quanta deniq; complemur spe, cum
ab eo

ab eodem accepto promisso munere, illas be atorum sedes expectamus, ad quas dominũ nostrum preiuisse vidimus? Neq; in his singulis mysteriorum gradibus alij ab alijs vnquàm discrepamus, sed vnum sentimus omnes, atq; idem. Non tantum verò in his talis est inter nos consensus, sed etiã in harum rerum signis, atq; notis. Cum enim maiora essent beneficia in nos Christi, quàm quę nos humi strati suspicere possemus, additę nobis sũt res visibiles, quarũ sensu admoneremur meritorum in nos Christi. Habemus enim aquam inter cętera, certum persuasionis nostrę symbolum, qua id nobis persuadetur, aquam ex Christi domini latere profluxisse in remissionem peccatorũ nostrorum, qua nos quoties vteremur, toties meritorum in nos Christi nobis veniret in mentem. Non vt nuper impudẽter calumniatus est Meiobanus, aqua videlicet à peccatis mũdari nos. Totum enĩ hoc peccata tollere, soli Christo tribuimus, atq; damus. Eodem pertinẽt illa, herbę, sales, frutices, quę nimium (ne dicam stulte) irridet Meiobanus: quis enim est ita demens, qui spem aliquã salutis in stirpibus, atq; earũ fibris ponat? Verũ hęc sunt, vt mõ posui, nihil aliud, quàm signa earum quę in nobis

nobis sunt de rebus reconditis, opinionum, atq; persuasionum: quas nos ex ipso omnis sapientię fonte hausimus Christo Iesu domino nostro. Quare videat Meiobanus ne pręter calumniam, nihil afferat contra autoritatem veterem, omnemq; vetustatis consensionem, quę ab origine huiusmodi res in Ecclesia vsurpauit, neq; vnquàm vocauit quisq; in dubium, quantum hę res valerent: multũ enim illas valere concedebant omnes. Nunc verò, cũ nihil sit quod nos nõ persequamur nostris argutijs, omnis illa maiorum pietas, his rebus ad speciem minutis, facultate autẽ maximis, suo loco motis, deflexit iam multũ de spacio, curriculoq; suo: quę procliuis ad perniciem cum semel ire cępit, iam labitur, cum hoc caput sit ad beatè viuendũ, instituta veterum hominum conseruare: qui quãto propius aberãt ab illo diuino ortu, tãto melius videbãt, quid pietas nostra vellet. Apud quos cum sanctissimum fuerit in sacrificijs aqua vti, igne, thure, & oleo, & cum herbę, sales, frutices, suum habuerint in Ecclesia veteri locum, nulla reliqua causa est, qua scęlus istorum tegatur, qui hęc ex Ecclesia delere sunt conati. Neq; verò est quod dicant, Romanis superstitionibus has res in Ecclesiam

siam venisse, minime verò, nam & Rutheni, & Armenij, atq; Indi, qui cęteris rebus consentientes, literis tamen, atq; ritu cum Romanis, & inter se dissentiunt, harum rerum vsum antiquis religionibus adhuc retinent, ita, vt cum Romanis in hac re collati, videantur esse superstitiosissimi. Ex quo cõstat non Romana superstitione, vt isti volunt res has in Ecclesia versari, sed autoritate ipsius Ecclesię veteri, quam Dei vocem esse non scriptam, supra posuimus. Quare minime accipienda est horum sententia, quin potius summo studio repudianda, ne sublatis de medio hisce, pietas ipsa, quę his rebus gignitur, tollatur ex animis hominum. Sint ergo in ratione clauium hęc quoq;, connumerenturq; in re nostra familiari ceremonię, ritusq; omnis, quasi quidam ornatus Ecclesię: & breuiter totum hoc clauium nomine comprehendatur, quod ad vtilitatem, honestatem, atq; dignitatem Ecclesię pertinet.

Quòd extra Ecclesiã claues ementitę sint, & de hereticorũ clauibus. Cap. VI.

Quòd si sunt qui pręter has, alias se claues habere dicant, eos grauiter errare res loquitur ipsa, cũ pro veris clauibus emẽtitas proferant, & minime aptas, id quòd ex illorum dissensionibus, atq; discordijs percipi potest. Si enim vndiq; secum ipsa consentiens Ecclesię, administratio clauium vi continetur, claues ibi nõ sunt, vbi consensus est nullus. Et quia abundamus exemplis, vt non repetamus veteres illos Faustos, Donatos, Sabellios seditiosos homĩes, Germaniã illustrem, ac pręclaram gentem inspiciamus, in qua tot ferè ętate nostra genera sectarum extiterunt, quot propemodum inibi sunt oppida, atquè vicus. Cũ enim quidam Germani homines abundantes ingenijs, atq; doctrina, autoritatem orbis terrę sequi nollent, sibi ipsi peculiares Ecclesias fecerunt, in quibus neq; mens, neq; sensus vnus est. Neq; est quòd aliquis metuat, ne quid hic mecum fingam, satis enim commode mihi videor, magno licet cum periculo, Germanię ratione vsu, tractationeq; cognouisse. Missus enim puer à patre in Germaniam, tenebar desiderio nouarũ rerum, quòd pulchrum putabam, pręstare ęqualibus, si quã peregrinã doctrinam ex Germania in Russiam

siam

ſiam deportarem. In quo primum Lutheri ſequutus ſum veſtigia, quòd is inprimis ferebatur comendatione popularium rerum. Ex q̃ genere ſunt illa, Pontifici non parere, leges non vereri, epulari ſemper, ieiunare nunquã, bona eccleſiarum diripere, diuos negligere, monachos ex eccleſia exterminare. Poſtremo ſecuritate tanta frui, quanta velles caput eſſe ad beatè viuendum. Atqui talibus ſententijs Lutheri cupidè ſanè fruebar, quaſi non eſſet hoc ammiſſo, vnde hęc poſtea diſcerem. Et cum triennio Vitemberge aliquandodidiciſſem, nihil eſſe rectũ, niſi, quod à patrijs inſtitutis abhorreret, proceſſi ſtudio longius, & ad Caroloſtadium me cõtuli, quòd is illa quę à Luthero didicerat, peiora etiam dicebatur feciſſe. A quo Zuinglium Heluetiũ deinde adij, qui paucis quibuſdam rebus mutatis Caroloſtadium erat ſecutus. His tribus tum me dederam, quorũ vt quiſquis erat nouandis rebus audacior, tãto mihi videbatur melior eſſe, ac doctior. Quorũ Zuinglius, & Caroloſtadius, quòd in maiorem partem peccarent, pręſtare ipſi Luthero mihi ſunt viſi: quorum pugnantia, atq; cõtrouerſa hic ponam pauca è multis vt inde intelligatur, quam rationẽ iſti cum Eccleſia

Eccleſia habeant, quę tamen placebant tum mihi, idq; diſputandi magis mehercule cauſa, quàm ita viuendi, neq; enim per ętatẽ adhuc ſtatuere poterã, quid expediret, quid nõ. Sed tamen, vt inſtitui dicere, in hac confuſione rerum, M Lutherus in Sacrificio publico, quaſi ꝓ adminiculo corpori addit panẽ, vinum etiam merum admiſcet ſanguini: nõ probabat hoc audiente me Zuinglius, adimebat corpus, ſolũ relinquebat panem, conſimili quoq; ratiõe is idem ſanguinem tollit ex poculo, vinũ relinquit. Sic Zuinglius impietatem ſacrilegio correxit Lutheri. Quid ego nunc de Caroloſtadio loquar? cui hoc erat curę, ne ſoli Luthero mutare antiqua, in eccleſia liceret. Attullit etiã ipſe de ſuo multa, cum ceteris rebus abſurda, tum verò nulli vſui: Cuius ſentẽtię ſunt, & pręcepta eiuſmodi, hominem quemlibet ſacerdotem eſſe, hoc nomine ſeorſim in Eccleſia vti neminẽ, Baptiſmum niſi in adultis non valere, omnes eſſe pares, Imperator, Dux, Comes, Prĩceps, inania eſſe ipſius nobilitatis nomina. Atq; hęc illius oratio furoris, & arrogantię plena, ꝓpter infirmitatem conſilij mihi magis placebat, quàm ea, quę contrà afferebantur á Luthero. Sed hęc illorũ diſſenſio, non

E ſolum

ſolum inter ipſas ceu familias ſectarum eſt,
verumetiam ipſa ſępe ſecum diſſentit ſecta,
multis pugnantibus, controuerſiſq; locis:
quorū multa correxit Lutherus, quę feruore
illo primo ędiderat, nõulla mutauit, pleraq;,
ne totam forte videretur retexere diſciplinā,
diſcrepantia reliquit, quę fideliter vir bonus
inprimis, & eruditus homo. Ioannes Cocleus
in ſepticipe ſuo notauit. Atqui hęc ego man
dabam memorię puer, quę poſtea cum iam
firmior eſſet ad iudicandum ętas, qualia eſ-
ſent cognoui. Cum enī diligentiſſimus, atq;
idem optimus pater meus, me ex Germania
aliquando detractum, in Italiam miſiſſet, co
gnitis Italis, auditiſq; eorum doctoribus, Pa
tauij primū, deinde Bononię, poſtremò Ro
mę ad ſanitatem aliquādo illorum opera re-
dij, & illa quę puero placebant, partim iſto-
rum monitu abieci, partim verò ipſe expe-
riendo contempſi. Quę ideo cōmemoraui,
vt intelligatur in tali diſſenſione, atq; cōfu-
ſione rerum, clauibus rem non geri, ſed te-
meritate quadā ferri. Quis enī eſt ita cęcus,
qui hoc nō videat, in hac perturbatione, atq;
tumultu, non modò nihil valere claues, ſed
omnino nullas eſſe: ſi quas enim iſti cla ues
haberent, non paterentur earū vtiq; vi in tot
partes

partes diripi Eccleſiā, ſed retinerent homines
in una, quam noſtrę pręferri vellent, idq; le
ge, iudice, atq; pęna facerēt. Nunc verò quo-
niam profugerūt à nobis, & clauibus carēt,
pertraxerunt in ſuas partes auidā nouarum
rerum plebem, nō veritate, ſed omnibus illis
blanditijs, quibus illa capi ſolet: quam etiam
retinere ſecus non poſſunt, quàm vt illi om-
ni ratione ſeruiant. Ex quo naſcitur iſta ma-
ledicēdi licentia, quę quottidie fit robuſtior,
dum non alia Luthero reſtat via, qua is in
aures influat cōtionis, pręter hāc calumnian-
di, quam vt illi non grauatè plebs det, multa
ille viciſſim permittit plebi, dum patitur, vt
tantum quiſq; audeat, quantum vult, dum
audentem non coheret, dum arbitrio ſuorū
delet vetera, inducit noua. Poſtremò dū ita
nihil certi habet, nihil conſtituti, quod ille ad
minimum reflatum contionis non mutet.
Sic ille danda, recipiendaq; venia abduxit di
ſcipulos, & hos cœtus fecit, quos videmus:
quorum hominum, non libet dicere, illud ta
men verè poſſum, neminem à nobis diſceſ-
ſiſſe, & illas partes ſequutum eſſe, qui fuerat
inter nos probatus, qui autem nos reliquę-
runt, erant ex his, qui ſine legibus, atq; iudi-
cijs volebant viuere. Quod cum illis ꝓpter

Ecclesię nostrę disciplinam apud nos non liceret, ad hanc aram impunitatis, atq; licētię confugerunt: cui tanquā ad Syrenarum scopulos ita adhęserunt, vt spes illis nulla supersit reditus, quę si qua erat, tota hoc libro à Luthero ędito sublata est, in quo ille omnia effundit maledicta, quasi hoc suis pręcipiēs, ne vnquā cum tali ecclesia redeant in gratiā, in qua plebs nihil potest, sed omnia certis ꝓcurationibus ita teneantur, vt nihil plebi liceat, pręter id, quod illi à maiori autoritate cōceditur. Quod sanè nunquā violasset Lutherus, si quam ille rationem clauiū duxisset, aut si cogitasset claues tum maxime cerni, dum alij iubent, parent alij, dum sunt qui in familia domini contumaces seruos, si non alio, fame certè, atq; gelu (vt ait Paulus) cogunt obediēdum sibi esse, negato illis victu, atq; amictu necessario. Quod cū apud nos vsurpetur, integrumq; est more maiorum, claues quoq; penes nos esse, & illarū vsum legitimum cōcedendum est, vt meritò ob id sit hoc secundū cognoscendę Ecclesię signū quod de clauibus à nobis est dictum.

De Tertio signo cognoscendę Ecclesię, & quod claues multitudini non sunt à Christo traditę Cap. VII.

TEnemus iam claues eius domus, cuius nos familiares esse volumus. Et quidem non multum repugnante ipsa Vitēberga, siquidem illi per Lutherū liceret, sed nō licet. Cum eīm Lutherus statuisset dignitatem Romanę ecclesię diripere, agitat omnem hanc rationem clauium, & insectatur, neq; patitur illas ad vnum deferri, sed communicat cū omnibus. Ita illa sententia quę summam dat potestatem in ecclesia vni, à Luthero tollitur de medio, nec iniuria. Cum enim nihil esset vtilius, quàm vnum pręesse, & quasi uigilare pro multis, solus post homines natos inuentus est Lutherus, cui nihil durius, neq; tristius videbat, quàm vnius hominis more in ecclesia imperioq; viuere. Cuius rei si est reddenda ratio hanc esse puto. Cum enim Lutherus vellet in Ecclesia mutare res, neq; tamen prohibente Pontifice Romano consequeretur, quod volebat, occurrebat animo, frustra illum id conari, stante illa communi omnium sententia, qua autoritas Pōtificis Romani inniteretur, qua sublata, putabat se facile consequi posse cete

ra. Neqꝫ illum fefellit opinio, nam remota
ex animis multorum hac sententia, illas om
nes labefecit, quę ex hac vna pendebāt, qua-
rum illa princeps fuit de clauibus: quas cum
traditas esse Petro & Matthęus ipse sit au-
tor, & idem omnis affirmet vetustas, tamē,
quòd hac sentētia, summa potestas Pontifici
Romano dari videbatur, tantum potuit in-
uidia, vt Lutherus mallet Petro claues non
reddere, quàm illis pati Paulum tertium cū
Petro communiter vti. Quam etiam ob cau
sam Petro in Ecclesia potestatem primariā
abrogauit, non quo Luthero curę esset, qua
autoritate in Ecclesia olim fuerit Petrus, sed
ne qua omnino apud nos Paulus tertius es-
set, hoc verò illi vel inprimis est curę. Quem
ille non solum hac autoritate spoliare cona-
tur, sed etiam omnibus ornamentis ipsius vi
tę priuari, quam ille flagitiosam, ac turpem
vult videri. Quę ipsius impunita maledicen
tia, quàm sit ferenda, viderint alij. Nos qui
ecclesię causam suscepim⁹, relinquamus ma
ledicta Luthero: quę Paulus tertius innocē-
tia tectus facile vitabit, nos ad institutū no-
strum reuertamur, demonstremusqꝫ penes
quos homines sint hę claues, de quibus nūc
inter nos ambigitur: de quibus tres video
ab istis

ab istis fieri sententias, quarū nullam probo.
Quidam enim nulli committendas censent,
immò nullas esse, multi omnibus, pauci qui-
busdam: harum trium sententiarum nulli
prorsus assentior. Neqꝫ enim illa prima vera
est, quę claues dat nulli, perturbat enim om
nia, nihilqꝫ certi in vita relinquit. Quid em̄
nobis erit salui, si nemo erit qui Ecclesiam
moderetur: omnia profecto puncto tempo-
ris dilabentur, nisi sit aliqua potestas, quę
Ecclesiam tueatur. Dimittatur ergò hęc sen
tentia. Nos cum vsu, tum etiam ratione ad-
ducti, ponamus claues tradendas esse omni-
no aut vni, aut nōnullis, aut sine exceptione
omnibus: atqꝫ hisce tribus partibus difini-
etur tota hęc quęstio, nihil enim video qđ
addi possit quartum. Quarum quidem triū
partium hęc postrema, quę ad vulgi poten-
tiam cuncta reuocat, specie quidem blanda,
sed re ipsa multis modis repudianda est: to-
tam enim vitam periculosam, infestāqꝫ red-
dit, cum ita permittit, vt quisqꝫ laxet habe-
nas viuendi vt velit. Et multitudinem quidē
ipsam à repub: ideo remouēt sapientes, quòd
incauta, temereriaqꝫ sit, atqꝫ ita in vtramqꝫ
partē vehemens, vt ab illa raro absit seditio.
Quòd si talis multitudo est, quam tandem
quęso

quęso pacem illa cum Ecclesia habebit, in̄ qua nouandarum rerum ratio est facilior, cum in prophanis tã sit immodesta? Effundet se ipsa mihi crede simul vniuersa, & viribus ipsa ruet suis, si nulla uis in Ecclesia princeps extiterit, ad cuius pręscriptum multitudo illa moueatur, agiteturq;. Quam si ex ecclesia tollis, cito distrahetur dissidio, nec ipsa inter se cohęrebit, sed abibit in pręceps tali licentia,

Vt cum carceribus sese effudere quadrigę,
Addũt se ĩ spatia, et frustra retinacula tẽdens
Fert equis auriga, neq; audit currꝰ habenas.

Neq; mirum est hac sententia Ecclesiã non stare, cũ ipsa domus priuata punctũ temporis vix sit duratura, si nemo fuerit in ea, qui imperiũ habeat in domum, quem metuant serui, vereãtur liberi, vnde omnes depẽdeãt, et à quo ceu fonte omnis ratio fluat domus.

Qui fœdere certo
Et p̃mere, et laxas sciret dare iussus habenas.

Sed vt ipsi per se qui in domo degunt, sic iuris sui sint, vt omnes omnia

Quippe ferant rapidi secũ, verrãtq; p̃ auras.

Hac ratione sanè effundetur citò domus, quamuis opulenta fuerit, atq; copiosa. Ex quo iam apparet nõ esse audiendos, qui multitudini

titudini

tudini tradunt claues, perturbant enim omnia, atq; permiscent. Quid verò quòd etiam aduersantur illi vsu iam tritę Pauli sentẽtię, quę quidem in ore est his, qui refellunt Lutherum: quòd videlicet Ecclesia ordinibus difinitur, vt in ea alij sint Apostoli, alij Prophetę, Euangelistę alij: locus huic sententię non erit, si vulgo clauibus vtemur omnes. Qua eñ fronte cerdonẽ atq; ipsũ opilionẽ Apostolos & Prophetas nõ esse defendes, cũ illis claues tradas in manus? aut quid prohibebit quominus illi vtãtur clauibus cũ velint? immò verò illi vtũtur iam, & plus etiã quàm ferri possit. Vidimus enim nos ipsi in Germania, & magna quidem cũ offensione omnium vidimus, cũ cerdones, pistores, fartores, & illa de plebe fex, exequerentur omnia sacerdotũ officia, & munera: quę quàm ad euertendam Ecclesiam sufficiant, quis nõ videt? clauibus eñ absq; discrimine multitudini datis, claues omnino nullas esse vides, quarum vis tota non in possidendo, sed in vtendo cernitur. Quibus si nos vtamur permiscue omnes, quorsum erunt claues, cum nihil erit clausum, nihil reclusum cuiq; apud nos domi? Quid ego nunc commemorem, quanta vis etiã afferatur ipsi naturę hac ista

 sententia

sentẽtia, quę huiusmodi necessitudine res inter ipsas deuinxit, vt altera absq; altera stare nequeat? Quis enim ponet absq; filio patrẽ? aut quis dicet absq; domino seruum? & alia modi istius, quę cum alio cõferuntur, vt duplum, simplum, magnum, paruũ, claudens, clausum: quorum alterum ita adhęret alteri, vt dempto vno, dematur & alterum. Sed iã hoc cuiusmodi sit in ipsius Lutheri sententia contemplemur. Das Ecclesię suas Luthere claues, claudi rem iubes, distrahi supellectilẽ familiarem vetas, rectè sanè, nihil elegãtius, neq; vtilius dici abs te potuit: sed ista tamen, quę ponis, stare non possunt, nisi quidam in Ecclesia sint absq; clauibus, nisi sint alij qui claudãt, alij quibus claudatur domus, & breuiter, nisi sint in famulatu quibus nõ semper, neq; ad libitũ, pateant cellę, hiet domus, quę sanè erunt nulla, si omnibus domesticis tra demus claues: immò verò quorsum illę erũt non intelligo, cum frustra tu id mihi claudes, quod ego inuito te aperiam, vt inde promã, quod volo. Non dilatabo hoc argumentum pluribus, quis enim non videt quid hac sententia aliud quęratur, pręter postremam licentiam? vt cum hanc dederimus populo, nullos deinde magistratus legitimos, non solum

solùm in Ecclesia, sed nę in ciuitatibus quidem habeamus. Atq; hęc ratio omnia diuina, atq; humana peruertit in Germania rusticano bello, quo quidem nihil tetrius, neq; Romano Impio īdignius sol hic vidit. At illa seruitia passim non alio in dominos concitabantur, quàm isto quasi plebiscito, claues habes, pari iure es, seruus ne sis, liber es, hę sunt illę pręclarę sententię, atq; erudita nomina, quę sectis atq; cędibus cõpleuerunt Germaniam, afflixerunt Austriam, per Vngariam deniq; Turcis ad nos patefecerunt viam. Sed hęc deplorata sunt à nobis alio loco, & quidẽ in his orationibus, quas de bello aduersus Turcas suscipiendo scripsimus. Quamobrem dimittatur à nobis tam nocens, tamq; perniciosa sententia, quę & hominum perturbat vitam, cum ex illa omnem ordinem tollit, & vim etiam affert ipsi naturę, cum vincula, necessitudinesq; rerum ex ipsis rebus demit, postremò etiam Deo aduersatur ipsi, cũ illã seriẽ dissoluit, ac delet, qua Christus ecclesiã suã coniũxit.

Quòd inter ministros Ecclesię ordo sit quidã, & de primatu Ecclesię. Cap. VIII.

Sed cum constet omnibus claues committi nõ oportere, nõ omnibus ergò, quibusdã igitur, hoc enim sequitur. Verũ quò res fiat clarior, certum pro hoc incerto ponamus numerũ: sint illi, si placet, duodecim viri, à quibus omnis autoritas Ecclesię ad nos manauit, quo posito, quęramus quo nam modo istis duodecim viris conueniant hę claues, num peręquè omnibus? an quod illę potius ab vno ad reliquos ordine pertineant? Negat hoc postremum Lutherus, illud affirmat primũ. Quod si illi datur, multa tum absurda, tum etiam aliena non solùm à communi vita sed etiam ab ipsa natura sequentur. Si enim in Ecclesia complures erunt pari potestate, impedient ipsi se, vt iuste, & temperate nequeant viuere, nisi, vt dixi, sit, qui partitis in Ecclesia quasi prouincijs, aliũ ab alterius prohibeant munere, ne dominatu multorũ, incertũ fiat cuiusq; opus. Quod etiam vetat hoc versu Homerus, quem Latinum fecit nuper Iacobus Prilusius noster, vir ad carmen factus:

ὀυκ ἀγαθὸμ πολυκοιρανίη εἶσ κοίραμοσ ἔσω

Multos imperitare malũ, sit sceptriger vnus.

Deinde cum in rebus hoc ita cautũ sit, vt ne quo pacto res duę in vno genere pares, ac ęque

ęque perfectę reperiantur, quo tandem pacto isti in Ecclesia duas ęquè pares, ac decem volunt esse potestates? Atqui hoc nõ solùm est in his rebus, quę à mente, atq; à ratione fabricantur, verumetiam in ipsa rerum natura, quę manca, atq; inchoata fuisset, nisi esset colligata prioris, atq; posterioris vinculo, sine quo omnia in vetus illud redibunt chaos, ex quo Dij quondã, vt in fabulis est, in hunc ordinem, quem videmus, vniuersitatem hãc rerum redegerunt: nullum enim est genus rerum, quod vim, atq; ęternitatem suam retinere queat, si existimatur ex hac rerum serie, ipsumq; per se existat. Sed hęc fortasse maior est ratio, quàm quę à nobis possit cõprehendi, est alia quę hanc sententiam Lutheri refellit, quam ipsa animaduersio nos docuit: omnes siquidem res, quę quidem vigẽt sensu, & quę aliqua societate sunt inter se coniunctę habent vnum aliquod, quo cum congregãtur, & quod illis, cum ordinem inter ipsas, tum etiam certum modũ pbet. An hoc non palã est in apũ examinibus, qbus

Rege incolumi mens omnibus una est.
Amisso rupere fidem constructaq; mella
Diripuere ipsæ, & crates soluere fauorum.
Ille operum custos, illum admirantur, & omnes

 Circum

Circumstant fremitu denso, stipantq; frequentes
Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulchramq; petunt per uulnera mortem.

Hic tantus, tamq; mirificus horum minutorum animantium consensus, tributus est ab optimo poëta vni alicui eximio, cui⁹ impio totus hic apum regeretur cœtus. An non hoc mirabile est, ĩ victu, & in oĩ apũ cultu, vt viuo rege omnia sint examini salua, illo veró sublato, omnia dissipentur aluearia, vt etiam si in his quasi competitor alter rex extiterit, nisi is dedatur neci, regnum illud apũ stare non possit, sed cito dissoluatur, quasi quodam bello ciuili. Sed quid ego in rebus inanimis, atq; mutis versor? cum res ipsę humanę diuturnę non sint, nisi vnus accedat illorum moderator, atq; rector, opifices mediusfidius ipsos si quęras, totũq; genus mechanicum, num quid his salui possit esse in arte, amoto societatis magistro? respondebũt dubio procul nihil esse, quod quidem cõfirmari potest testimonio vitę communis. Taceo maiores administrationes rerum publicarum, quę hominis ętatem vix, aut ne vix quidẽ durabunt, sine vno certo aliquo, quasi ciuitatis patrono. Quamobrem quis hoc nõ iure miretur, cęteras res omnes ita cõstitutas

à natura

à natura esse, vt certo sint ordini, atq; modo illigatę, in quo quidem alię antecedunt, sequũtur alię, in sola ecclesia nihil tale haberi, ac ne esse quidem posse? sed ita multis potestatibus illam esse subiectam, vt harum nulla sit prior, neq; potior reliqua, vt quasi in orbe quodã eadẽ sit prior, quę est posterior, & posterior quę prior? Quod si ita est, vt isti volunt, qs in cõdenda republica nõ putet diligentiorẽ fuisse Platonẽ, aut ipsũ etiã Aristotelem, quàm fuerit Christus in Ecclesia? Vnum hominẽ regnare vult in ciuitate Aristoteles, Rempub. certis ordinibus describit Plato, omnia apud hũc ab vno ducta initio, cum ipso cõnectuntur fine, ita, vt in optimo genere reipub: omne decus, omnisq; laus, ordinis descriptione, ab illis viris ciuitati concilietur, quorum si nihil est in ecclesia, causa non est cur Ecclesiam Platonis regno anteponas. Quid quòd etiam inanima, atq; ipsa mehercule rerum elementa, meliore conditione sunt hoc pacto, quã nos sumus: quę quidem habent certas origines vnde motus inchoant suos, vt certum semper sit tam in orientis, quã in obeuntis solis, ac in reliquis Aquilonis, Austriq; partibus, vnde oriatur ver, immineat ęstas, expectetur Autumnus,

metuatur

metuatur hyems: in Ecclesia si nihil ad eum
modum erit primum, nihil medium, nihil
postremum, sed quoq̃ te vertas omnia inde
speres, omnia expectes, omnia postules, quis
est qui putet ratione Ecclesiā fabricasse De-
um? & non potius temerè, atq; casu, quòd
ita illā affectā, atq; incertam reliquit. Ergò
& natura tot signis nos docuit multorū im-
perio, rebus humanis nihil esse perniciosius.
Absurdi sunt tamē isti nescio quomodo ad
hanc naturę vocem, nec ea quę ab illa mone
mur audiūt, neq; aliam ob causam, vt puto,
nisi quòd nemini parere, ac ne recta quidem
pręcipienti volunt, idq; curant, vt excussa o-
bedientia, in soliuaga quadam licentia vi-
uamus, quod quàm hominū societatem in-
ter ipsos dissoluat, notius est, quàm vt sit de
monstrandum. Et vt aliquādo dicam quod
sentio, vehementer mihi abusi videntur esse
otio & literis, Eckius, Cocleus, Rofensis,
atq; Faber, quòd in propugnando primatu
Ecclesię nimium sunt diligentes, ne dicam
curiosi. Quis enim est ita demens qui hoc
non videat, homines collectos ad aliquid a-
gendum absq; duce in cœtu nō esse stabiles,
ita, vt qui hoc neget, pœna, non argumento
sit refellendus? sed isti studio pio fortassè, nō

tamen, vt mihi quidem videtur, necessariò,
dum Ecclesię labenti opem ferunt, ne hanc
quidem partem notam sua sponte, prętermit
tunt. Equidē cętera legens Lutheri, patien-
ter ferre soleo, si quę in illo viro abhorrent à
communi approbatione, & si quando ille la
bitur, imbecillitati communi sępè id ego tri-
buo, sed quòd talem Ecclesiam is fingit, in
qua princeps vnus est nemo, hoc verò ferre
nullo modo possum, sępeq; admirari cum
multis soleo, quid huic viro venerit in men-
tem, mea sententia minimè stulto, minimeq;
imperito, cur plures ille, quam vnum in Ec-
clesia regnare malit, à quibus nō longe abest
dissidium. Nam quod dicit se habere Chri-
stum principem in Ecclesia, quem sequatur,
& quem hisce duodecim viris quos cum pa
ri potestate esse in Ecclesia vult, anteponat,
hoc idem est ac si quis Parmenides, aut Me-
lissus, in rerum natura nihil ponat omninò
pręter ipsum Deum, huic enim ipsi respon-
deret opinor Aristoteles, quānuis in rerū na-
tura principem demus locum Deo Parme-
nide, & Melisse, tamen secundū Deum pro-
ximum etiam locū cōcedimns cœlo, illudq;
loco Dei esse volumus infra se positis cor-
poribus. Ad eundem modum & nos quoq;

libenter hoc tibi damus Luthere, Christum Iesum suę principem esse Ecclesię, sed tu illud nobis vicissim des velim, esse aliquem, qui in terris apud nos loco sit Christi, quem quidem si quis ab ecclesia remoueat, idem faciet, ac si quis solem, illosq́ꝫ cœlestes orbes remouens, Deum dicat esse rectorem, atqꝫ moderatorem omniū, non cogitans, multo etiam minus intelligens, numē summi Dei, vimq́ꝫ illis per hoc cœleste corpus in terras demitti, quo quasi administro efficiātur istę in rebus mutationes,, varietatesq́ꝫ quas assiduè fieri videmus. Cum igitur siue artes spectes, siue ipsam naturam, siue etiam res diuinas, atqꝫ humanas, nihil in eis reperias, quod quidem hanc sententiam impugnet, quodq́ꝫ illi aduersetur: contra verò cum illa omnia cōsentiant, cur dubitamus principatum vni alicui in Ecclesia concedere, cuius autoritate nitamur, qui nobis loco sit Christi, vt illius voluntatē nobis explicet, qui lites inter nos dirimat, cōtrouersias sedet, pacē conciliet, familiam gubernet, claues habeat, claudat, reseretq́ꝫ cœlos, quando oportet, & quomodo oportet, quem arguat nemo, prȩter conciliū, atqꝫ cœtum vniuersorum. Hoc pacto demū beata erit Eccesia, & quouis Platonis regno

foelicior

fœlicior, iurè etiam anteponetur ipsi naturę, à legibus postremò antiquis, ac moribus nō dissentiet, si gradus habuerit suos, quibus gradatim ascendat ad suum verum, & legitimum principem Christum Iesum dominū nostrum. Sit ergo iam hoc in confesso esse aliquem in terris, penes quem sit ipsius Ecclesię summa.

Quòd Petrus princeps fuerit in Ecclesia, & de primatu Petri. Cap. IX.

QVòd si est, vti certè est, quis hoc principatu dignior habebitur Petro Galileo, qui in cooptatione collegij apostolici à Christo prim⁹ cooptatus esse dicitur? Neqꝫ verò temerè primum à Mattheo in cooptādo Petrum vocatum arbitror, quasi is sorte primus in collegium exiuerit, abest enim à consilio domini temeritas, neqꝫ illius operibus se admiscet casus. Primus igitur cum appelletur à Mattheo Petrus, sequitur quòd inter reliquos Petrus princeps fuerit vel ordine, vel dignitate. Cum enim ab eruditis viris quadrupliciter dicatur primum, illi duo

G ij modi

modi prioris, qui sunt naturę, & temporis, dimittantur, neq; enim ad rē pertinent, nos quod ad institutum sufficit videamus, quomodo Petrus ordine, & dignitate in suo collegio sit primus. Si enim is primus à Matthęo est dictus, ratione ordinis, dubitare nō potest, post Petrum alios deinceps seq quorum quisq; in illo ordine Petro sit secūdus. Prior igitur ordine Petrus, posteriores reliq, qui in illo piscatu vberi, Petri socij à Luca appellātur, & administri, vt palam sit cum solus Petrus à Matthęo dicatur primus, alij autem omnes Petri socij commemorentur à Luca, dubitare non oportere, quin Petrus princeps sit in collegio apostolico, siue ordinē spectes inter ipsos, siue dignitatē, vtroq; enim modo concedas oportet, reliquos non esse pares. Nam et is qui in ordine prior est, causam habet, cur pręit alijs, & q dignitate pręditus est recte dicitur primus, & cū ad dignitatem accessit autoritas, imperium etiam habet is idē in reliquos. Quod vtiq; Petro promissum esse à Christo tum constat, cum huius collegij temptata esset fides. Cum em̄, vt apud Matthęū est, Christus interrogaret discipulos, quid de se illi sentirent, tacentibus tum reliquis, Petrus respondit.

TV ES CHRISTVS FILIVS DEI VIVI, non dico cur interrogati tacuerint cęteri, sed illud quęro, sit nè ista vox Petri, vox etiam cęterorum, an verò solius pro se respondentis Petri? Quòd si hoc est postremum, in dubio erit fides reliquorū, cum de summa rei interrogati nihil respondeāt, siue Andream spectes, siue Ioannem, siue ex illis quempiam alium. At si Petri vox, vox vna erat omnium, sequitur per Petrum cęteros quoq; propterea respondisse, quod in eorū collegio primas tenuerit Petrus: id quod etiā in collegijs nostris vulgo vsurpari solet, cū in responso dando vnus loquitur pro omnibus, ex quo qd inter Petrum & inter reliquos intersit facilè internosci potest. Atq in hoc nobiscū ipse cōsentit Lutherus, cuius sētentiā paulò post cuiusmodi sit videbimus. Ordine itaq; primum, hac ratione fuisse Petrum, abunde constat. Nunc quanta cū autoritate in collegio fuerit demōstremus. Sequitur enim Matthęus, qui refert agnoscere Christum confessionem hanc Petri tantam, tamq; pręclarā, maiorem esse, quàm quę in mortalem hominem Ionę filium cadat, idcirco vt totam Deo patri acceptam referat, quasi Petrum admonet hisce verbis.

Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis.

Et quia digna res videbatur premio, ideò mox quasi mercedis loco vicissim addit.

Et ego tibi dico, quòd tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, & portę inferorum non præualebunt, aduersus eam.

Remuneraturus dominus Petrum, collegiũ totum meritis ornat laudibus, vt dicat. Tu Simon filius Ionę non leuem quandã confessionem, neq; ab humano sensu profectã, sed diuino instinctu expressam, atq; solidã, ceu petram pro te, & pro tuis protulisti, ab hac itaq; firmitate huius istius confessionis tuę, quòd illa quauis petra est solidior, nomen tibi debitũ feras, ac Petrus vocêre. Neq; verò nomen tibi solum ex hac ista confessione trado, sed etiam Ecclesiam meam, collegium autem tuum, collocabo super hanc petram firmam & stabilem, vt hac petra, Christo filio Dei viuo, quem tu me esse cum tuis modo es confessus, vigeat semper, ęternaq; sit, neq; vllam inferorum vim metuat. Atq; hęc omnia adhuc nobis concedit Lutherus, sed in his quę sequũtur, quasi quodam ęstu

ingenij

ingenij abreptus, dissensit non modo à nobis, sed etiã ipse à se. Sed seqmur nos sententiã nostrã, deinde ponemus Lutheri, vt ex contentiõe vtriusq;, facili⁹ eluceat veritas, seqtur

Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis.

claues hoc loco dantur, cui dentur de nomie dubium non est, de re magna est inter nos dissensio. Nam qui Petrũ in Ecclesia principem esse volunt, Petro istis verbis promitti claues & ad illũ summam potestatẽ in Ecclesia deferri affirmãt, qui aũt exęquato imperio, Petrũ volunt pari iure versari in Ecclesia cũ cęteris, claues tradi à Christo peręquè omnibus contendunt, atq; huius sententię propugnator est accerrimus Lutherus, vt is facilius de vita, quàm de hac sententia decedat, quãto cum detrimento rerum communiũ, nequeo cõminisci, sed querelę facessant, quando nihil prosunt. Mihi omnis res tecũ erit Luthere, neq; alio ꝑter te disceptatore causa hęc à nobis disputetur. Nobis non videtur, qui vetere autoritatẽ ecclesię sequimur, has istas claues, de quibus agitur pari

 modo

modo, & ęqli iure traditas esse Perto & reliqs Petri cōdiscipulis, & est causa cur ita putemus. Primò qđ ista tua sentētia euertit Ecclesiā, vt iā est ostensum, deinde qđ nō coheret cū superioribus, postremò quòd tu ipse, imprudens licet, das tamē supremam pręter cęteros Petro in Ecclesia potestatē. Ecquid tibi hoc placet postremum Luthere? Ecquid illud primum? vnde porrò vis argumēter? num ab illo, vt prius hęc non cohęrere demonstremus, si tuam sententiam sequamur? ab illò isto certè quidem, deinde rem totam de tua sententia si videtur concludamus: tu nos lector beneuolè, attenteq̄ audias. Fuit ergò illud primum, & quidem te autore, discipulos interrogatos esse absq̄ exceptione omnes, quid nam hij de Christo sentirēt, & hoc sanè à nobis ponatur primum: deinde sit illud secundum, quod interrogati omnes, per Petrum responderint: postremum autē hoc sit, quod à petra Christo, Petrus nomē inuenit, ita vt omnes rectè vocentur Petri, qui cū Petro confitentur Christum esse Dei filium. Hę tres istę sententię positę à nobis ad hunc modum, quomodo quęso cohęrebunt cum ea, quam infers de clauibus, quas ęqualiter esse datas omnibus condiscipulis vis videri? Dic enim Luthere bona cum venia, extra hanc contentionem nostram, cur in superioribus omnia agis per Petrum? omnia conficis, omnia transigis? cur cum ad claues ventum est, eundem sensum nō retines? cur mutas mentem? cur Petrum in ordinē cogis, quem prius principem in agendo, & respondendo ponebas? Postremo cur per Petrum claues datas esse ceteris non vis? vt per Petrum cunctos respondisse ponis? cum hoc bellissime ita dici abs te potuit, vt per Petrum Christum confessi sunt, sic per Petrum remunerati sunt, pręsertim cum dicatur tibi dabo, & non vobis dabo. Sed video acumen ingenij tui, nolebas impingere in hunc scopulum, quem modica declinatione vitasti, ne si fortè per Petrum cęteris datas esse claues confiterēre, Petrum quoq̄ principē habuisse claues cōfessus esse viderēre. Atq̄ vt hoc ita esse ex verbis tuis iudicetur, ponam contra te hoc loco id, quod tu in libro contra Romanam sedē nuper à te scripto euidenter istis ipsis verbis ponis.

Hoc responsum dat Petrus omnium apostolorum nomine, nam vbi multitudo interrogatur non omnes

 simul

simul respondere possunt, sed vnus gerens personam omnium, solus verba facit, id quod etiam prouerbio dicitur. Duo simul canere quidem, sed simul loqui non possunt. Atq; hic patres rectè sentiunt. Augustinus, Cyprianus, Chrysostomns, S. Petrum os fuisse Apostolorũ, & ex persona omnium locutum esse & respondisse, omnes enim interrogati, omnes respondere tenebantur.

Ista est ad verbum tua sententia, cuius hęc summa est, Petrum gessisse personam in respondendo Apostolorum omnium, laudas patres, qui Petrum os fuisse reliquorum dicunt, & verè dicunt, fuit enim. Sed quo pacto amabo Luthere Petrus in accipiendis clauibus manus non fuit reliquorum, cum fuerit ille os in respondendo omnium? Postremò ad illud tuum prouerbium redeo, nempè, quòd duo simul canere possunt, loqui non possunt: cur etiam ad eundem modum nõ dicatur, quod omnibus quidem simul ab vno promitti potest, sed simul dari non

non potest, spargere enim hoc esset & effundere, & quiduis potius quàm dare, aut tradare, propterea etiam illi duodecim, neq; capere ab vno simul Christo poterant, rapere enim simul ab vno possunt omnes, capere nõ possunt: hęc omnia ex tuo ducuntur prouerbio. Quamobrem vt aliquando concludamus, ex his quę abs te sunt posita, ego tibi omnia ista non grauatim concedo, quòd interrogati discipuli per Petrum responderint, quòd Petrus os fuerit reliquorum, vt illud ambo concludamus, quod in omni hac ratione fuerit Petrus veluti instrumentum quoddam, vt per Petrum & respõdisse discipuli, & remunerati esse videantur. Ex quo illa diuina elucet proportio (Sic enim vocemus illud quod ἀναλογίαν Greci appellant, quę in ratiõe prioris & posterioris cernitur, id quod te istis artibus eruditum, minime fugit) qua ad hanc diem stat Ecclesia, & stabit frustrà te repugnãte, quę agnoscit, & libenter quidem agnoscit, hac ista proportione (vtamur enim hoc verbo rei explicandę gratia) non dignitatem ipsam solum, sed salutem etiam suam contineri: cum quidem concedit ad beneficium hoc summum pertinere Christi, quòd ligandi, atq; soluẽdi potestas, comuni

cõmunicata sit per Petrum in Ecclesia cum omnibus hijs, qui procurationẽ Ecclesię modo certo, & ordine susceperunt. Cum ergò hoc sequatur, quid est Luthere quod in hac conclusione desideras? num potuit quicquã clarius concludi, quam est hoc à nobis conclusum? An tibi magis firmare argumentum viderer, si ita tenuiter differerẽ? In mutuis officijs vltro citroq; dandis, reddendisq; hoc à conuentu vsurpatur, vt

Per quẽ datur officium, per eũdem reddatur beneficiũ:
per Petrum datum est ab apostolis Christo officium:
Per Petrum quoq; à Christo pro officio redditũ est Apostolis beneficium.

Hoc cum ita dicerem, ineptè quidem, verè tamen, quid haberes quęso in quo me mentiri argueres? tuum enim est hoc argumentum, non meum, in quo nobis cum cętera conueniant, in cõclusione te labi mirum est, hominem eruditum, & in his artibus à puero versatum: ita, vt cum te ipsa res cogeret in conclusiõe ponere, *A Christo per Petrum Apostolos accepisse claues*, tu quasi fluctu insperato à portu reiectus remigas in altum, Celeuma illud canens.

Ach quid opus est multis lumen non potest esse tenebrę: Matthęi decimo

octauo Christus non loquitur soli Petro, sed omnibus discipulis, amẽ dico vobis quęcũq; ligaueritis super terrã erunt ligata in cęlo, & quęcunq; solueritis super terram erunt soluta in cœlo Hęc eadem sunt verba de soluendo & ligando, quę superius cum sancto Petro loquitur, & licet hic non fiat mentio clauium tamen officium earũ hic vt superius Matthęi decimosexto euidenter expressum est.

Hęc tu affers, sed num clariora prioribus, vt ex his lumẽ intelligẽtię illis ab ste inferatur? non arbitror, obscuriora enim sunt multo superioribus: quicquid enim in hoc sermone est, *infinitũ* est, LIGAVERITIS, SOLVERITIS, non eñ additur om̃es ęqualit̃ soluetis, aut nõ oẽs. At quãto clariora illa sũt Beatus es, tu es, tibi dabo, quicquid ligaueris, quicquid solueris.

Hęc enim omnia sunt non solum tempore, sed etiam persona ipsa finita ac certa. Quare vide ne tu lumen nobis eripias, & tenebras offundas penè de industria, cum incertis pro-

hes certa. Sed tu arte id facis, nam cũ quasi
sorex indicio tuo pereas, analogię illi quę à
Petro ad reliq̃s ducit claues, obuoluis quasi
caput, ne quo casu vim illius, & pulchritudi
nem incauta plebs aspiciat, vt si forte agno-
scat quanto scelere se illa, dum tibi obtempe-
rat obstrinxit, tu de summa perclitere. Quid
ergo inquies, alijs soluẽdi potestas data non
est? datam esse cõcedimus Luthere, sed per-
ęque omnibus negamus. At omnibus dici-
tur quęcunq; ligaueritis? quid tum postea,
iam enim antea in capite sexto, & decimo a-
pud eundẽ Matthęũ Petro dictũ erat prius.
QVICQVID LIGAVERIS
ERIT LIGATVM vt hęc quę postea
capite decimooctauo narrant, ostendãt quã
vim illa habeãt priora, nempe quod ligante
Petro, omnes ligabitis, & illo soluente om-
nes soluetis, & breuiter ille in ligando atq;
soluendo princeps, vos collegę, atq; socij: vt
ex hac commixtione horum istorum duorũ
capitum, eluceat illa diuina, & sępe iam di-
cta in Ecclesia Dei proportio, vt obscurum
non sit, quantum inter hęc duo capita inter-
sit. Sed quoniã sępe quęris à nobis, & qui-
dem in alijs libris tuis, vbi nã id quod Petro
promissum erat, seorsum illi à cęteris est red
ditum

ditum, tu non vis alio loco promissa illa Pe
tro apparere, quàm illo cum Christus ia-
nuis clausis ad suos ingressus, flãdo dixit.
Accipite spiritum sanctum, quorum
remiseritis peccata remittuntur eis.
Sed hęc eodẽ pertinent quo & priora, satis
ostensum, vt opinor, enim est, quicquid cõ-
muniter à christo de clauibus erat dictũ A-
postolis, id pertinere ad eam analogiam, qua
res Ecclesię ab vno deriuantur ordine certo
ad reliquos, quare illo Ioannis capite, nõ pro-
missa potestas Petro redditur, sed clauium
vsus communicatur cum omnibus his, quos
Petri socios Lucas appellat. Habet Ecclesia
nostra autoritates alias lõge illustriores, atq;
firmiores, quibus autoritatem tuetur Petri,
& quidẽ ex eo depromptas loco, quo Chri-
stus à Ioanne iã iam cęlum ascensurus descri
bitur. Nã in illa vltima pagina Ioannes quã
longa est, omnibus circumstantijs depingit
eam personam, quam princeps Petrus in Ec
clesia debebat sustinere: cum quidem is com-
memoret, vt Petrus ad piscatum inuitabat
condiscipulos, vt is agnito domino miserit se
in mare, succinctus veste, studio insano, si
ita loqui phas est, vt solus deinde traxerit rete
plenum magnis piscibus, centum quinqua-
ginta trib

tribus, integro tamen reti. Et cum in illo postremo, ac amabilissimo prãdio accumbẽtibus etiam cęteris rogaretur Petrus, diligeret ne rogantẽ Christum plusquàm illi omnes, qui tum aderant cum illo in accubitu, cumq; ille ter idem interrogasset, & cum illi ter Petrus quoq; annuisset, pascere agnos ter ipse quoq; iussit Petrum, plus etiam procul dubio, quàm ceteros, nam hęc commeant inter se & cohęrent, vt si tu Petre diligis me plus quàm hij, quos pręsentes vides, plus etiã tibi sint curę agni mei, quã sunt hijs. Quorsum enim pertinebat de solo percontari Petro, quám diligeret is Christum, cum tot viri sanctissimi pręsentes adessent? nisi vt in illo digressu, eum potissimum pastorem agnis suis relinqueret, qui se in amore Christi principem esse fateretur? Atq; hęc sunt nouissima Christi verba nõ temerè, neq; casu à Ioanne vltimo loco posita, omnibus, & locorum, & personarum circumstantijs descripta, sed vt in hoc vltimo quasi vitę Christi actu, omnibus partibus absolueretur eius viri persona, quem Christus principem loco post suum à nobis recessum inter nos tenere volebat: ne hinc abiens, q̃si rem male gerens paterfamilias, gregem suum absq;

pastore

pastore, familiam absq; villico, Ecclesiam deniq; absq; pontifice relinquere videretur. Propterea tam diligenter á fido illo scriptore commemorata sunt de Petro illa omnia, vt iterum repetam, de piscatu, de mari, de piscibus, de reti, de prãdio, de accubitu, vt palàm in conuentu pręsentibus omnibus his, qui cum Petro de principatu iurè fortassè poterant contẽdere, Petrus postrema voce domini renunciaretur omniũ esse pastor, hancq; pręrogatiuam ipse ab ipso Christo domino ferret, cęteri verò omnes agni, grex, subditi, & quiduis potius quã Petro pares. Ex quo apparet illo sextodecimo capite Matthęi designari nobis pastorem, hoc verò Ioannis vltimo renunciari, ac in tribunali suo iam locari, cum quidem illi apertè dicatur non pasces, sed ecce abeo, iam pasce. quos? hos, q̃ tecũ nũc accũbunt, & cęteros, q̃ his subiecti erunt, agnos meos: neq; gratis id facies, sed pro mercede mortem pręclaram feres, qua cumulatim pascendi munus alijs post te relinques, hacq; ratione fidem tuam in me, diligentiam autẽ in meos, ad posteritatis etiam immitationẽ trasmittes. Hę sunt illę illustres voces, & hęc aperta Dei mens, qua princeps in ecclesia Petrus fuisse perhibetur, quam tu

H corrumpis

corrumpis, ac deprauas, vt errori opem feras
tuo, cum tamen ante te sit inuentus nemo,
qui aliter de Petro sentiret, sed semper con-
stans fuerat hęc de Petro sententia, semperq;
eundē honoris gradum ac dignitatis in Ec-
clesia veteri habuit, ita vt etiam sanctissimi
viri nostrę ecclesię, temporibus optimis,
autoritatem in Ecclesia tantam esse puta-
rent, vt quicunq; in amicitiam Christianā,
societatemq; venisset, non aliunde quàm à
Petro mutuaret, quod ad Chistianè viuēdū
pertineret. Paulum quidē Tarsensem diuinū
inprimis, atq; pręclarum virum, cum hoc
ipso Petro dextras societatis iunxisse, om-
nemq; rationem eius doctrinę, quam trade-
bat cum illo contulisse accepimus, vt is in
constituenda autoritate muneris sui, quę a-
pud Galatas vacillare videbatur, non aliūdè
fidem sibi cōciliet, quàm cōiunctione Petri.
Et cum haberet cęteros temporibus illis, au
tores in Ecclesia qui Hierosolimis tum fu-
erunt, tamen is non scribit se venisse Hiero-
solimam propter Iacobum, qui eius vrbis
Pontifex fuerat, neq; propter Ioannem, quē
Christus vnicè dilexerat, sed videndi Petri
causam sibi fuisse scribit cur Hierosolimam
veniret, non dissentiens nimirum ab his, quę
de Petro

de Petro tradita omnes acceperāt: quorum
enim attineret, Paulum sibi fidem autoritate
conciliare Petri, nisi hoc ita esset cum ipsis
Galatis, tum etiam cęteris persuasum, eum
esse Petrum, qui cū fuerit inter cęteros prin-
ceps, talē quoq; esse, quo cū qui consentiret,
eum falli non posset: Iam verò illa nascentis
Ecclesię initia, nōne solius autoritate cōstitu
ebantur Petri: ꝗ cū Iudę proditoris casu di-
minutum collegium Apostolicum videret,
primus in cœtu surrexit, cum etiam tum cę-
teri quiescerent, quęrendumq; censuit, qui
ex illa centum virali turba (tot enim ferè ade
rant) in locum Iudę sufficeretur. Potuit nē
aliud tempus Petro dari, quod doceret, quē
locum in Ecclesia Christi teneret, quàm tū
cum pręsens adesset mater domini: Iacobus
etiam Hierosolimorum Pontifex vna sede-
ret, cum Ioanne, Andrea, Philippo, Thoma,
& cum cęteris: nota cm̄ sunt nomina, quo-
modo quęso non arrogans Petrus fuisset, si
quid ipse sibi ante alios tum sumpsisset, nisi
hoc illi reliqui concederent, vt is pro autori-
tate, totam illam sortitionem gubernaret, ne-
gotioq; omni pręesset: Deniq; in concilio
illo primo de pręputio habito, princeps Pe-
trus sententiam dixit, & gentes circumcidi,
 vetuit

vetuit cuius autoritati tum reliqui omnes paruerunt. Dies me deficiet, si cõmemorare vellem omnia vetustatis exempla, quibus patet principem in Ecclesia Petrum fuisse. Hęc pauca è multis & penè infinitis, eiusmo di sunt, vt qui ab his dissentiat, neq; horum autoritate moueatur, non sanè intelligo in sacris literis quid probet, quidúe sequendum putet, aut quod erit illud, cui quidem acqui escat, si à tam notis, atq; certis dissentit, vt iã causa nulla sit reliqua Luthero, cur aut Petrũ principẽ ĩ ecclesia neget, aut cęteros Petri condiscipulos pares illi fuisse affirmet, vt hac sublata dubitatione ordo Ecclesię maneat, quo autoritas ipsius tradita Petro à Christo successiõe continuetur, ad supremum vsq; mundi diem, penesq; eam sedem sit solã, quã Petri fuisse in sequentibus ostẽdemus.

Quod Romanus Pontifex sit successor Petri, & de autoritate Romanę sedis. Cap. X.

PEtrum quidem principem fuisse in Ecclesia olim iam satis constat, quis autem in terris Petri locum inter nos teneat, quisúe illi suc

illi succedat, deinceps perscrutandum est. Neq; enim credibile est, neq; omninò verũ est, maiores nostros vnum habuisse principem in ecclesia cuius nõ imperio solum, sed nutu cuncti regerentur, Hebręi, Gręci, Latini, ac Barbari, quo nostra careret ętas, cũ idem ordo, eadem dignitas, atq; autoritas nunc penes nos sit, quę fuit olim penes maiores nostros, qui cum Petrum haberent in ecclesia principem, nos quoq; loco Petri, aliquem habeamus necesse est. De quo tamẽ ipso non idem sentiunt Gręci, quod Latini, recentiores enim Gręci, arrogantia elati planè Gręca, cum cęteros homines ideo natos esse dicerent, vt seruiant Gręcis, in Ecclesia quoq; dominari volebant, ita, vt etiam Michael Imperator linguam Latinam tãquàm duram, odiosam, atq; Barbaram despiciens, Romano Pontifici principatum abrogaret, illumq; Bizantiũ à Latinis ad Gręcos trãsferret, quem cõmodissime refellit Nicolaus Pontifex in eo libro, qui ad eum inscribitur, in quo sanè pręter impietatem, nihil illi reliquum fecit. Nec iniuria, quid enim tam inhumanum est, quàm ab ea opinione dissentire, quę non semel, neq; bis, sed semper codẽ modo in hominum vita est versata? atq;

is idem Michael, si eorum, a quibus imperiū acceperat, fidem quoq; fuisset imitatus, neq; ipse errasset, neq; alios errare fecisset: habuit enim graues autores Constantinum, Theodosium, Martianum, vt alios prętermittam, qui summa obseruantia ergà Pontifices Romanos fuerunt. Quod si etiam isti Michaeli barbari sunt visi, Athanasij tamē summa autoritas, Chrysostomi itē, Basilij, atq; Cyrilli, sanctissimorum hominum, doctissimorumq;, cōtinere illum in officio poterat, qui cum seditione Arriana pelleretur ex Gręcia, non ad alios iudices veniebāt quā ad Iuliū, Liberium, ac Fœlicem, Pontifices Romanos. Sed fuerit etiā hoc humanitatis cuiusdā atq; beneuolentię. Quid ille orbis terrę consensus, illa Dei in hominum ore sonās vox, ne videlicet Concilium indicatur, neuè vlli cœtus publicè fierent, nisi Pontifex Romanus autor esset, parúmne apertè designari tibi hac autoritate videtur Petri successor? nunquam enim potestas, pręsertim tanta, ad vnum fuisset delata, nisi aliquid esset, cur hoc ita sit necesse. Videbant nimirum autoritatem summā fuisse Petri, illamq; nō conspiratione aliqua hominum, sed voce Christi in terris esse constitutam. Pręterea quod petrus

Petrus non Antiochiam, cū ibi sedisset, neq; Alexandriam, cum ibi Marcum esse iussisset, sed in vrbem Romam Pontificatum suum contulit, quem ille cum collega Paulo, non solum omni pietate exornauit, sed etiā Romę sanguine fuso, in ppetuum cōdidit, vt in vrbe Roma, tanquam in arce quadam maneret illa confessio Petri integra, non viciata peręgrinis, neq; transmarinis doctrinis, vt idē palam sit, cum inter mortales esse loco Petri, qui constanter fidem tuetur Petri, eam etiam esse illius sedem, quę stabilis est, & cui error nunquā obrepat. Quod tamen de se iactare Gręcia, quamuis sit arrogans non potest, neq; laudē hanc Romanā, cum Byzantio suo communicare: quoties eīn supbierit, aliquidq; sibi sumpserit, toties nōnihil audiet de suis illis, Nestorio, Arrio, Antemio, Sergio, Pyrrho, multos alios prętereo, ne enumeratiōe molestus sim lectori, quorum tamen nemo absq; infamia abijt, cum enim hij sectis, atq; dissidijs perturbassent Gręciam, sustinuerunt causam iurè dānatorum. Quòd si Byzantini pręsules sępè infideles fuerunt, cui hoc persuadebunt Gręci, Christum Iesum summam id ecclesię illis commisisse, aut apud illos principem sedem
H iiij locasse

locasse, cum ipsi propter inconstantiam indi
gerent patrono, & ne quid forte fallerent, o-
pus haberent custode? Iam verò si Antio-
chia, sedes olim Petri, principatum sibi nun-
quam arrogauit, Alexandria etiã dignitate
Marci non superbiuit, cur Gręcia id audet?
cur se venditat? cur se ostentat? sed vt dixi,
insito gentis vitio, cum omnia sibi illa arro-
get, & nihil alijs concedat, de principatu q̃q;
Ecclesię cum Latinis contendit nõ sine suo
exitio. Cum em̃ Gręci Romano Pontifici
parere nollent, sed ipsi per se solitariè vi-
uerent, infinitę discordię in Gręcia sunt ex-
ortę, quibus perfectum est, vt pręclarissimè
in ea gente constituta Ecclesia dilaberetur.
Denique cum finem nullum facerent di-
scordijs, à Machometo capta, oppressaq;
est, nec verò sola ipsa cecidit, sed reliquas q̃-
q; prouincias suo casu labefecit, vt illa bona,
quę in hominum genus quondam ex Gręcia
cia profluxerunt, siue mores spectes, siue le-
ges, siue Christi doctrinam, infinitis malis,
hisq; communibus compensata iam esse vi-
deãtur. Quem Gręci errorem serò licet, sed
tamen aliquando, agnouerunt Florentię an
te annos plus minus centũ Concilio habito,
in quo Latinorum, & Gręcorum consensu

Eugenius Pon. Max. est appellatus. Ergò
adhuc video apud Gręcos esse nihil cur Pe-
tri sedem Byzantij locẽt, potius quàm Ro-
mę, cui cum summam Petrus ipse primũ,
deinde consensus omnium autoritatẽ tribu-
isset, eamq; postea ipsa perpetua constantia
roborasset, nõ est cur Romanus Byzanti-
no nõ anteponatur Pontifex. Ciuitates etiã
ipsę si cõferãtur inter se, dignior longè vrbs
Roma Petri sede Byzantio videbitur. In
qua vrbe cũ domiciliũ olim summi Imperij
fuerit, cur pro caduco illo, ac, vt sic dicam,
mortali regno non succedat in eandẽ vrbem
ęternũ illud, ac immortale Christi regnum?
in quo pręcipua sit eius viri sedes, qui verbo
Dei omnes illos Tyrrannos, Neronas, Cali-
gulas, Claudios, Decios, cum falsis Dijs è ci
uitate eiecit, vrbemq; Romam quasi quo-
dam belli iure Christo domino in perpetuũ
vendicauit: atq; in eadem vrbe perfecit, vt
aliquãdo Christus omnibus gentibus terra,
mariq; verè imperare videatur. Ad quã sa-
nè rem, vrbe Roma vrbs nõ alia oportunior
fuit. Nam si quis omnes quę vbiq; sunt, pro
uintias circũspectet, ipsiusq; orbis terrę sitũ
consideret, non alibi profectò eam sedem po
net, quę omnibus pręsit, quàm à qua omnes

Hæc nõ ad Mathematicorum normam exigenda sunt.

ęqualiter distant. Qui enim Bizantij princi≠
pem sedem locat nimiũ ad orientem uergit
solem: qui autem Alexandrię, meridiem spe≠
ctat totus: at septem illi colles Latini, in Re≠
gione media ferè sunt siti, non absq; proui≠
dentia Diuina, vt vndiq; circumfusę gentes
ceu ad quendam punctũ ad sedem primariã
ex ęquo pertineant. Cum enĩ septem regio≠
nibus omnis hic terrę aspectus describatur,
in ipso quintę regiones penè introitu quã
Gręci διαρωμες appellant, vrbs est Roma in
loco medio propemodum regionũ reliqua≠
rum, vt nulla sit vrbs Romę similis in alia
regione, quę propius absit à medio, quod no≠
tum est harum rerum peritis: quasi deceret,
principem vrbem ęqualiter abesse, vt nemo
sit qui ob inęqualitatem loci, autoritatem
subterfugiat sedis primarię. Hoc ergò proui≠
dens summus ipse Deus, ęquis spacijs à prin≠
cipe sede humanum distinxit genus: ita, vt
neq; Sarmatia Lybię, neq; Pontus Hispa≠
nię inuidere propinquitatem loci, aut lon≠
ginquitatẽ possit obijcere, cum tamen eius≠
modi de se nihil possit Byzantium pręsu≠
mere, neq; aliquid si non verum, saltim ve≠
risimile proferre, cur principatũ appetat, aut
cur se Romanę vrbi putet ęqualem esse.

Quare

Quare quiescat aliquando, stet intra fines
suos, sit erga Pontificem Romanum ea ob≠
seruantia, qua debet esse, & qua fuerunt om≠
nes maiores sui. Nec vero Byzantina ciui≠
tas tantũ, sed etiam cetere omnes, Pontificẽ
Romanum Petri successorem agnoscant,
Petriq; sedem Romę potius, propter sum≠
mam autoritatem & Petri, & vrbis, quàm
alibi gentium ponant. Neq; nos ab autori≠
tate huius loci abducamur illa vrbis ĩfamia,
quam Lutherus ita grandem vult videri,
vt sedem ipsam morum corruptorum gra≠
tia, de medio tollendam putet. Quis enĩ est
qui nesciat, quantis vitijs illa vrbs circum≠
fluat? num hęc querela nostra est? an non
etiam maiorum nostrorum, qui nihil magis
putabant pietati officere, quàm Romę inue≠
terascere. Vidi ego hęc omnia quę tu exag≠
geras Luthere, doluiq; illas ignominię ma≠
culas, aspergi sanctissimę illi, atq; sedi pri≠
marię, quibus vilesceret omnis illa Ecclesię,
antiqua dignitas, cum homines viderent in
illa vrbe ad omnia scęlera patere licentiam,
quam sanctitatis, mentis, continentię, religi≠
onis, deniq; omnium virtutum domicilium
maiores nostri esse volebant. Quod cum
ego nuper Romę apud clarissimum, atq;

innocētis.

innocētiſſimum virum Hieronymum Gy-
nucium Cardinalem Senenſem, qui nuper
eſt mortuus, deplorarem, queri me ille de
vitijs vrbis prohibebat, quòd neq tolleren-
tur querelis, & quòd altius etiam egiſſent ra
dices, quàm vt extirpari ſine incommodo Ec
cleſię poſſint, quę vitia ille dicebat eſſe ma-
gnarum vrbiū ceu quaſdam comites, atq
aſſeclas. Multa tum ex Paulo afferabat de
Corintho ſenex, quę quòd portu oportuno,
ac inprimis copioſo erat ſuccincta, abunda-
bat omnibus illis vitijs, quę ex diuerſarum
gentium moribus, per nautas vrbibus im-
portari ſolent; ad eundem modum Romę
quoq euenire, in illa variarū gentium col-
luuione, atq turba, vt mirum videri nemini
debebat, ſi in illa ceù ſentina tot exiſtant vi-
tia, vt vnum oriatur ex alio, quare ſcitum
eſſe affirmabat cauſam hanc conferre in il-
lud, vt zizania creſcant cum ſuo tritico ad
meſſem. Quid ſi inquam, zizania ni eradicē
tur obruāt triticum? tum ille comiter, vt ſo
lebat, quid ſi malos male perdet, & vineam
ſuā locabit alijs? ita ille ſuadebat mihi, atq
hoc ſanè illius optimi viri admonitu, ſic mi
hi perſuaſi, ſicq ſentio, illa vitia Romana
nihil de dignitate ſedis Romanę demere,
neq

neq obſtare, quominus autoritate illius te-
neamur, tribuantur ſanè ſua ipſis homini-
bus vitia, ſint turpes, & deformes qui in his
volutantur, ſuus tamen ſedi ſeruetur honos,
ſuaq Pontifici maneat autoritas, non mo-
ueatur loco: deniq tātum apud nos valeat,
quantū apud maiores noſtros valuit. Qđ
ſi qui principum in illa vrbe ſunt, qui nequi
ter viuunt, habent illi quod metuant.

Nam ſi dixerit ſeruus ille malus, vt a-
pud Matthęū eſt, in corde ſuo, morā
facit dominus meus venire, & cœpe
rit percutere conſeruos ſuos, mandu-
cet autem & bibat cum ebrioſis, veni-
et dominus ſerui illius in die qua nō
ſperat, & hora, qua ignorat, & diuidet
eum, partemq eius ponet cū hyppo-
critis, illic erit fletus & ſtridor dētiū.

Hoc ergò illi metuant, hanc pœnam ſcęle-
rum condignam expectēt quam ferant. Sed
nos viciſſim, qui nihilo illis meliores ſumus,
illud meminerimus, ſemperq habeamus in
promptu,

Quicquid dixerint vobis facite, ſecun

dum autē opera illorū nolite facere. Quare quam vitam illi viuant querendum non puto, sed cum nos ad vitam honestam, tranquillam, quietam vocant, audiendi sunt, illis enim est dictum QVI VOS AVDIT ME AVDIT. Quamobrem nos te non audiemus Luthere, neq; sinemus humanis vitijs tot res sanctissimas abs te simul deleri. Confitebimur Romę Papatum, nō à Sathana, sed à Christo esse fundatum, legitimum illi pręesse Pontificem, habentem claues, summa autoritate, ac potestate prędi tum, qui Ecclesię Christi solus moderator est, & patronus; penes quem etiam sit ius cogendi aduersus te Concilij, vt eius tu iudicio stes, non ille tuo. Neq; est quòd putes illo te ex illius iudicio elabi posse, quòd conuocandi Concilij potestatem illi adimis, quam temerè propterea in Ecclesiam per vim esse introductam doces, quo ore non dico, sed quo exemplo mirari satis nō possum. Quis enim ante te de hoc ipso dubitauit vnquā? aut quis est, qui diuturnam Ecclesiam fore speret, nisi vnus aliquis cogendi Concilij potestatem habeat, aduersus tot quotidie renascentes vestras Luthere hereses? plena certè exemplorum est vetustas, quibus palam est,

etiam

etiam si cetera nos deficiant, nisi accessisset Pontificum Romanorum diligentia, fides, autoritas, quę hereticis semper obstitit, Ecclesiam hodie nullam haberemus. Qui nisi legitimis Cōcilijs opem tulissent Ecclesię, valuissent illa mihi crede Concilia etiam nūc, quę sine autoritate publica cum ab impijs Imperatoribus, & Episcopis cogebantur, totum hunc statū Ecclesię, quo nunc vtimur, facilè cōmutassent. Recordare quęso, quot genera hereticorū extiterunt in Gręcia? qui viri inde pellebātur, dū absq; autore Pontifice Romano in Gręcia fiebāt Concilia? quis status, quod discrimen, q̄ fuerat in Ecclesia tēpestas illa idē, q̄ Athanasius ex Gręcia q̄ Chrisostom⁹, q̄ alij sunt eiecti? Et tā isti illis impijs Concilijs dānati sunt rerum capitaliū, quàm ignominiam illi viri nunquam accepissent, nisi hoc idem illis impijs hominibus, qui illa Concilia faciebāt, quod tibi nunc fuisset persuasum: videlicet Imperatoribus, & Episcopis inuito etiam Pontifice Romano cogendi Concilij ius esse. Sed dices fortassè id quod soles, Concilia illa non fuisse, quid autem quęso erant aliud? quid verò illis defuit, preter hāc, quam dico autoritatem publicam Pontificis Romani? Imperatores

ędicebant

edicebant, Episcopi veniebant, sentencię ordine dicebantur, & tamen vides quę calamitas in Ecclesia illa fuerit? quos viros afflixit? quos etiam peruertit, neq; alia de causa, nisi quòd sine autore Pontifice Romano conuentus illi agebantur, & cœtus fiebant sine duce, sine principe. An tu illud vocabis legitimum Concilium, ad quod veniemus permiscuò vocatu, cui lege pręerit nemo? in quo sententiā ordine rogabit nemò? Imperator inquies is erit, quo quęso exemplo? veteri quidem nullo, nam & in Nicena Synodo, cuius tu autoritate pręcipuè niteris, memorię proditum est, Constantinum Imperatorem non aliud egisse, quàm procurasse, vt Romani Pontificis autoritate cogeretur illa Synodus. Neq; enim aliud poterat talis pręsertim vir, qui ne libellum quidem illum criminosum, à sacerdotibus sibi oblatum à se legi voluit. Qua enim ratione princeps ille mitissimus Episcoporum Concilio pręfuisset, qui de minoribus sacerdotibus sententiam ferre noluit? Eadem pietate ac mansuetudine pręditi erant illi, quos tu cōmemoras, Martianus, Theodosius minor & maior, nunq; isti profectò id sibi summebant, quod tu nullo exemplo tribuis. Q. Cęsari

sari, & reliquis Imperij Romani principibus. Sed vt iam dixi, partes tantū illi has putabant suas esse, vt illis agentibus, & procurantibus, Pontifex Romanus literis suis ex prouincijs Episcopos in Conciliū conuocaret, cum aliter prouidere nō possent, ne quid detrimēti ipsa q̃q; respublica, ob illas turbas caperet, quę per seditiosos homīes in ecclesia excitabātur: hoc solū ergò ad se pertinere putabant veteres illi pij Imperatores, hortari ac monere Pontificem Romanum, vt is illa potestate vteretur ad pacificandam Ecclesiam, quam secundum Petrum illi Christus tradidisset, de qua illi nihil sibi arrogabant, sed totam integram Pontifici relinquebant, quam si tibi extirpare funditus placet, dic, quęso quis erit hominum in terris, qui Concilium coget cum vsus venerit? Et ne longius abeamus, vt Anabaptistarum tollatur de medio furor, id perfici absq; Concilio nequit. Quis igitur hominum tam solemne, tam legitimum, tamq; necessarium coget Cōcilium, & ita coget, vt eū qui vocatus nō venerit, pœnā damnatū sequi oporteat, hanc vel illam? Tu Romanum Pontificem nō vis, restat vt aut tu, verbi gratia, meo iussu in Concilium venias, aut ego tuo. In quo

quęro, cur tibi ita meam, vt mihi tuam authoritatem subterfugere fas nō sit? Conciliū ergò, vt vides hac ratiōe nō erit, deest eñ nobis authoritas, quę nō solum ędicto, sed etiā pœna adesse cogat. Penes Imperatorem inquies hęc potestas esto. Sed cur tu hunc potius potestatem hanc habere vis hominem prophanum, quàm Episcopum legitimum? sed intelligo quid hic velis, rumorē quendā hac ista lege, & plausum popularē quęris, de quo post videro. Nunc sit ita velim, habeat potestatē cogendi Concilii, vt tu vis, Imperator, quę potestas vide quęso quanta sit, q̄.extra Germaniā prolata nusquam valet: Nam quantum ad Imperatorem attinet, nō plus ego Imperatoris tui potestate obligor, quàm tu Regis mei, neq; opus est nunc fingere illud Imperium quod olim fuit, de eo quod nunc inter homines est, nobis est sermo. Quid restat igitur Luthere quod Concilium cogat, cū neq; Pontifex Romanus, neq; ego, neq; tu, neq; ipse postremò vester Imperator illud possit cogere? Nisi fortè illud dices, quod inter nos in Germania conuenerit, id vobis ratum sit in Polonia, in Italia, in Hispania, Gallia, postremò in Africa, in Europa, in Asia: nimium hoc quidē est,

sed tamē

sed tamen vide num verius nos omnes, quos enumeraui, hanc legem vobis possimus pręscribere, vt vos Germani cōdiscatis aliquādò, paulò submissius de vobis ipsi sentire, quandoquidem absq; communi malo non potestis peccare. Quod si etiā beneuolentię causa nos hoc tibi demus, tamen ipse medius fidius Carolostadius, nunquàm tibi hoc concedet, qui, ne superatus esse aliqua in re abs te videatur, excogitauit illum rebaptismum suum, quo ille inuenta tua omnia facilè superauit. Itaq; vt vides Concilio in perpetuum carebimus, nullumq; erit aduersus hereses in Ecclesia remedium, autor pacis nemo, Iudex nemo. Atq; hic libelli abs te ęditi cōtra Romanam sedem, fructus est amplissimus, cum iam nemo sit, te authore, qui terras, qui Ecclesiam, qui humanum genus, tueatur ab iniuria, qui pacem reddat, lites extirpet, in officio nos contineat. Quid hic dices Luthere? quo te vertes? aut in quam partem te contioni dabis, vt hūc laqueum effugias, quo te induis? cum enim Concilium cogi vis, Concilium ne vllum omnino sit curas. Quid enim obsecro, si hanc legem in Concione ferres, ne Concilium esset, aliud diceres, quàm hoc,

 velitis

Velitis, iubeatis ne Pontifex Romanus cũ ea potestate sit, qua preter illũ in Ecclesia vti possit alter nemo,
Nonne hoc idẽ esset, ac si apertè diceres.
Concilium volentibus iubentibus vobis sit nunquam.

Quare vide Luthere ne cum Paulum tertium Concilium fugere vis videri, ipse fugias, hocq́ agas, ne in Concilio omni tua causa cadas, quod ne accidat, eo animum tanquã arcum intendis, illos etiam tuos mones ἐνθουσίασμους, cum absurda, aliena, ac illa mirabilia tua, vt fucum populo facias, in medium cõfers, ne id te agere intelligãt, quod vel inprimis agis. Quàm eñ otiosè, quã remissè illud apud Matheum explicas, de Petra, & de Petro, quod res nihil periculi afferebat, si illo, vel alio pacto, dummodo proprio, intelligerentur illa nomina, At cum ad ipsas claues est ventũ, Dij immortales, qui sudor, qui ęstus subitò oboritur tibi homini minime malo: vt tũ exardescis omni maledictorum, & conuitiorum genere: ita, vt cũ Paulo tertio claues eripias, omnia claustra pudoris, ac verecũdię perrumpas, vt obuia queq́ rapias, feras, iacias, Papasinus, Paulasinus, Tragica

Tragica illa nomina, quę quorsũ aliò, quã ad dementandam plebẽ pertineant, non hercle intelligo, quam tu si à ratiõe dimoueres, facilius putasti te illi posse persuadere, ne à Paulo tertio Concilium expectet, ne illius iussu vocata in Concilium veniat. Parum ne videmur tuis te vestigijs sequuti, vt ad hos recessus tuos peruniremus: redargue me si mentior, sed non potes, quorsum enim attinebat tot conuitiorum afferre quadrigas, nisi videres te nobis absq́ maledicto nocere non posse, cui tu dum indulges, legem transis, quę etiã inimico vetat maledicere. Sunt quidem multi qui tibi ignoscunt, presertim ij, qui te putant à fide, bona segregare opera, vt tibi hęc maledicentia nihil obsit, ad eam fidem, qua iustus es in medio scelere, sed ego tibi nõ ignosco, nam ex te ipse Vitembergę didici, absq́ operibus mortuam esse fidem. Porrò inter omnia mala opera haud scio, an aliud sit venenum fidei certius, maledicentia ista turpi, ac petulenti, qua tu tamen necessariò vteris. Cum enim, vt dixi, veritate, atq́ argumento Paulo tertio nocere non posses, maledictis causam tuã contrà illum agis, ne si parum copiosè hęc maledicta admiscuisses Tragedię, quasi malus poëta in postremõ

 actu

actu parum probatus tuis abires. Quo genere maledictorum quantum apud alios valeas nescio, apud nos Sarmatas certè absoluta sunt iã tua maledicta, frustraq; in his studium consumis tuum, cum enim nobis maledicta tua semper visa sint leuia, & inania, tum verò quòd Dei permissu nobis maledicas, feremus te patientèr. Iussit enim Deus vt maledic eres nobis, negligentes enim in lege eius fuimus, remissi in doctrina, in omni deniq; bono opere frigidi, ac prępostéri. In hoc ergò excitauit te Deus, vt ista tua acerba, & contumeliosa admonitione, tanquàm graui oppressi veterno euigilaremus aliquãdo vt qui essemus, & quem locum in Ecclesia Dei teneremus, cognosceremus, et ad nos ipsi rediremus, hũc fructum vel amplissimũ ex te nos tulimus Luthere, vt aliquando de emendanda vita nostra cogitandum nobis putaremus. Nam illa ne tu euertas nõ timemus, Romam, Papam, Cardinalem, et alia, quę tu acerrimè insectaris, inueterauerunt enim iam hęc, maiusq; robur conceperunt, quàm vt illa abs te possint infringi, debilitariq;. Quare acta (quod dicitur) agis, frustra conaris, nunquàm perficies, plurimorum enim hęc patrocinijs contra te defenduntur, Dei

Dei ipsius inprimis, qui nos agnos suos, vicario suo, Petri autem successori Paulo tertio pascendos commisit: adsunt pręterea multi Reges, Principes, Magistratus, Gręci, Latini, Barbari, qui te non sinent ea, in Ecclesia, mouere, sine quibus illa stare nõ potest. Priuati etiam omnium ordinum homines, non patientur, sibi per te è manibus extorqueri illam Ecclesiam, quam à maioribus, ceu amplissimum quoddam patrimonium per manus traditam acceperunt, in hac vt nati sunt, ita emori volunt: alias nunc res age, & aut ad nos redi, aut si ita uis abi quo lubet, nos nostras res agemus, tu agas vicissim tuas. Neq; hoc tibi molestum sit, quandoquidẽ ad te nihil attinet, vt ponamus è quatuor signis cognoscendę Ecclesię hoc esse tertium, Ecclesiã Christi esse, in qua Romanus Pontifex, Petri tenet locum, quem constituit dominus super familiam suã, vt det illis cibum in tempore. Quod ita firmum inter nos, cõstitutumq; est, vt qui hoc neget, eum ad portas inferorum pertinere sit certum, vt iã ostendemus.

De Quarto signo cognoscẽdę Ecclesię & de inferorũ portis. Cap. XI.

Quatuor

QVatuor igitur rationibus propositis Ecclesię cognoscendę, quarū tres sunt à nobis superioribus capitibus absolutę, restat quartum, quod de inferorum portis est dictum, quod quidem nō postremam habet vim inter superiora. Nam Ecclesiam Christi eam esse posuimus, quę confessione nititur Petri, deinde quę claues habet cœli, postremo in qua Pōtifex est Petrus. Sed hęc tamē qualia sunt, & quam vim habent, sciri non possunt, nisi ex eo quod additur de inferorum portis: si enim vel Petri confessio aboleri, vel claues ecclesię eripi, vel principatus Petro possit abrogari, quid est pręterea cur aut Ecclesiā miremur? aut eius authoritatē sequamur? Contra vero cū Ecclesiam variè tentari, multisq; multorū artibus, & copijs oppugnari assiduè videamus (id enim inferorum portis denotatur) neq; tamen ab ijs frangi, nec debilitari: eo deducimur, vt credamus vi quadam Diuina, omnē statum illius contineri. Atqui ego quoties illos veteres homines impios, Hymeneos, Arrios, Sabellios ac Manicheos cogito, qui omnibus presidijs ad euertandam Ecclesiam erant instructi, toties confirmo ipse me ad ea, de quibus ambigunt multi. Cum enim furor hominum

impiorum hęc omnia delere conaretur, nec tamē posset, id quod nos sequimur, quodq; probamus, Diuinum, ęternumq; esse cogor suspicari. Si cū hominum inuenta diuturna non sunt, lege naturę, ea certè quę Dei sunt, ęterna esse debēt. Quod vt nostra quoq; humi defixa mens possit videre, hac fac è ratione Deus nos docuit, cum Ecclesiam suā tot obijceret fluctibus, qui nunquā sine exitio multorum in illam redundarunt: quod ideo fieri scribit Paulus, vt eo maior firmitas Ecclesię appareret, quāto illa fluctuaret magis. Ex quo illud sequitur, Ecclesiam ideò infestā, periculosamq; esse, vt vndiq; circūfusis periculis, nemo sibi aliū locum capiat, pręter Ecclsiam, in qua sit tutus: vt cū portis patentibus rueret omnis inferorū vis, Claudiosq; suos, Neronas, Decios, Solymaños, ad delendos pios duceret, haberent tunc pij certā quasi arcē, in quā se reciperēt, & á qua omnē inferorū impetū exciperent. Hac sanè fidens olim arce Paulus bellū intulit Neroni, ex hac, cū hoc eodem, huius collega prēliatus est Petrus, hinc nostri Sarmathę inuicti Albertus & Stanislaus, hinc illa puellarum classis contra Brytannos Vrsula duce, quarū virtutē ipse mediussidius Cocytus, Sthi-

glusque Rex, nigraque horruerunt Tartara. At hic tamen imbellis puellarum exercitus acerrimus in hostes fuit, non alio, quàm ipsius Ecclesię propugnaculo, atque tecto, quibus illę confisę, nihil sibi difficile ad vincendum putabant. Sed quid ego alienissimos homines Tyrannos, inferorum satellites nihil potuisse contra Ecclesiam cõmemero? cum illi ipsi ciues nostri, Gręci, Aegyptij, atque Latini hęretici, sumptis impijs armis, atrociores longe in Ecclesiam fuerunt, quàm qui vnque Tyranni, quòd hij pręter ipsorũ scęlus, vterentur etiam ijsdem armis, quibus cum nos quoque in aciem contra illos prodiremus, & tamen isti cum Ecclesiam oppugnarẽt vehementissimè, suo ipsi impetu fracti, repulsique sunt. Cuius rei testis est Arrius, qui ipsos etiam Romanos Imperatores ad euertendã Ecclesiã socios habuit. Testis est Manicheus, cuius furor cũctã penè afflixit Aegyptũ. Testis est Hus Bohemus cuius eloquentia concussę sunt omnes Aquilonis orę. Taceo Pykardos, pretereo Carolostadios, Zuinglios, & reliquas nostrę ętatis cõsimiles pestes, quibus in hominum vita nocentius nihil vnquam fuit. His nos exemplis tam veteribus, quàm nouis docemur, eam domum esse Christi

Christi Ecclesiã, quę nulla neque Deorum, neque hominum conspiratione possit euerti. Quod cum ita sit, miror equidem cur hęc omnis memorię exempla Martinum Lutherum non prohibuerũt, quo minus Ecclesię, hoc est patrię suę, bellum inferret, aut quo ille confisus, rem pręsertim tãtam est aggressus? Cum enim omnẽ authoritatem Ecclesię, quam is florentissimã à maioribus acceperat, omni ratione dissipare vellet, satis mirari non possum, cur illi cum in mentem nõ venerint illi superiores, quos modò enumeraui? quorum tamen artes, atque doli scęlusque nephariũ nihil valuisset contra Ecclesiam. Quorum amentia si Luthero placuit, aut si potius hos, quàm nostros Athanasios, Augustinos, Hieronymos imitari voluit, eorũ quoque calamitosum exitum perhorrescere debebat. Quòd si is crescere in Ecclesia voluit, cur seditione id maluit, quàm bonis, & aptis ad id artibus? pręsertim cũ is esset (mea quidem sentẽtia Lutherus) cui facilis erat ad omnem laudem aditus? Sed fortassè dicet illud quod solet, se mores eius Ecclesię ferre nõ posse, in qua pro lege haberetur abusus. Quid? tu seditionem abusum tollerabiliorẽ esse putas? licere ne censes tibi mala facere, vt eueniant

eueniant bona? Paulus quidem vetat, quem
cum non audis, cum ipſo abuſu, legitimum
quoq; rerum omnium in Eccleſia ſuſtuliſti
vſum. Quanto autem conſultius feciſſes, ſi
modi iſtius abuſus, ſi qui clàm irrepſerant
in Eccleſiam, moderatè ipſe primum tuliſ-
ſes, deinde cęteros quoq; patienter ferre do-
cuiſſes, ſuoq; hęc tempori extirpanda ſeruaſ-
ſes, vt hęc incommoda Eccleſię correcta abs
te potius, quàm funditus ſublata eſſe viderē-
tur. Nunc verò dum nimis exiliter ad calcu-
los vocas Eccleſiam, & cum ita in Eccleſia
omnia congeris, vt nihil ex illa in terram de-
fluat, de ſumma rei agi putas, ſi quid in ea
pugnare cū tuis rationibus inueneris. Quod
ſi tu pro ratione temporum ſuū medicamen-
tum Eccleſię adhibuiſſes aptum, & leue, fa-
cilè hoc abuſu, quo te abalienatum à nobis
eſſe dicis, Eccleſiam liberaſſes, nę tu multa
hoc pacto in poſterum prouidiſſes, poſterita-
tiq; melius conſuluiſſes: verum dum tu ſubitò
euellis hunc iſtum abuſum, dic quęſo quē
nobis vſum in Eccleſia relinquis? Inſectaris
vitia Pontificum, hoc ſatis eſt? immo verò
Pontificatum etiam tollis, tantumq; apud te
valebant paucorum hominum vitia, vt ho-
rum odio nullum Papam in Eccleſia, nullū

Cardina

Cardinalem, nullos ordines, deniq; nullum
certum imperium eſſe velles? cum tamē par
erat te ita calamitate Florentina cōmoueri,
vt meminiſſes in hac eadem ſede Clementē
olim ſediſſe, primum huic ſeptimo, vt tu vis,
omnino diſſimilem. Ad eundem modum
crebro nobis obijcitis, crebroq; in veſtris ꝓ-
bris vſurpatis, Bononiam euerſam, Bentiuo-
los pulſos, Germanos, Italos, Gallos, à Iulio
ſecundo inter ſe commiſſos, cuius etiā mor-
tui ad diſcordiā valuit authoritas: fuerit hęc
culpa ipſius propria Iulij, ab ea tn̄ ſede certè
ſegregetur, quę fuerat etiam olim Iulij primi
ſedes optimi atq; pręclari viri: pręter eo alios,
quorum moribus quamuis corruptis, atq;
depꝛuatis, de ſede ipſa aliqd te detrahere ęquū
non eſt. Quid ego nunc commemorem? aut
quomodo illam iniuriam conquerar, qua tu
exarſiſti etiā in minutioribus? Nam ſacer-
dotum cęlibatum qua ratione expugnes, pi-
get referre, non ſatis erat tibi verecundè ad-
monere, vt ſcortatio, coniugio ex Eccleſia ex-
cluderetur, niſi etiam infames pronunciares
omnes cęlibes, niſi in monaſteria irruiſſes,
niſi inde virgines veſtales nuptum produxiſ-
ſes, tibiq; ipſe eximiam ex illo grege ſump-
ſiſſes, quaſi mercedis loco, ne gratis mona-

ſteria

sceria expugnasse videare. Iam verò cum tuum illũ plebi prẹclarum restituis calicem, quid prẹtermittis quod quidem ad ignominiam nostrã pertineat? Clamas errasse nos, qui illo vti noluimus plebem, omnesq́ illos mortuos, qui eo vsi nõ sunt, mittis in scẹleratorũ sedem atq́ regionẽ. Ieiunia verò (libet enĩ recensere quẹdã) dum onerosa plebi esse vis, gulosam nimium efficis plebem, ita, vt iã tibi sint epulones publicè constituendi, qui epulum procurẽt gulosẹ plebi, quẹ dum ad omnẽ ẹsum occinit illud NON QVOD INTRAT, IN OS ẹdacissima est, & planè pessima ventris proluuies: sed tu sepè in eo peccas, quòd plebi nimium indulges, eoq́ illam ad te allectas, quòd scis illam cupere magis, abusumq́ illi demonstrans, vsum legitimum harum rerum vt spernat doces. At quanto satius faceres Luthere, si cũ valeas apud illã authoritate tantum, quantũ prẹter te aut pauci, aut nemo, reprimeres, iugumq́ domini mansuetè ferre illam consuefaceres: quod vtiq́ fieri nequit absq́ ista disciplina Ecclesiẹ, quẹ religionibus, ceremonijs & omni reliquo cultu, atq́ ritu Christiano continetur: quẹ quoniam partim tollis, partim mutas, omnis illa prisca religio, quã

nobis

nobis maiores nostri reliquerunt, ex animis multorum per te sublata est. Quod tu cum fieri quotidie magis ac magis videas, ferreus es, si his nõ commoueris, et si nõ cogitas, quomodo Ecclesiã in Germania cõstituas, quam inuenis, atq́ decretis tuis indies perire vides. Quòd si tibi in pace, atq́ in ocio miscere hẹc olim libuit, & si tibi ea res religionem nullam antehac attulit, ne nunc quidẽ ꝑhorrescis, dum ex Vngaria imminere, tuẹ Germaniẹ Solymannum cernis? qui nõ opibus suis, sed dissensionibus tuis opes suas auxit. Budaq́ occupata, maiora animo concepit quàm ab initio pacata Germania ausus est optare. Nunc verò cum ex libellis tuis adhuc intelligat nos dissentire, hostiliq́ inter nos esse animo, quas tandem spes illum capere censes? aut quid reliquum nobis esse vides, quod illi iam venienti obstet? num Deũ, cuius tantas religiones violasti? Num homines? quos alios, ab alijs dissociasti? restat ergò vnum, vt ad sanitatem quàmprimum ipse redeas, & pacem nobis primo quoq́ tẽpore restituas. Vides ĩter nos certi esse nihil, non iam leges veteres, non mos, iusq́ maiorum aliquid valẽt, sine legibus authore te sumus, sine iudicijs, sine certis prẹpositis, quod

libet

libet, id licet cuiq;, nihil obstat quominus uiuat vt quisq; vult, omnium par est ratio, nullum discrimen ordinum, nullus deniq; status rerũ certus apud nos est: & nisi quis Deus mentem tibi meliorem dat, & nisi res nostras afflicta srespicit, mens nihil iam presagit boni. Quid enim est queso Luthere, quod quisquã speret illa tua legens, quibus tu facilè ostendis, quàm preterita corrigas, cum etiam grauiora addas prioribus, dum quidem ita scribis.

Proinde cõsultius foret si Imperator, & status Imperij permitterent scceleratos illos nebulones, vna cnm sycophantis, & lerna execrabili illius sathane Romanẽ, perpetuò ad ipsum sathanã properar:: & paulo post. Nos nullo opus habemus Concilio.

Hisce verbis, nos quicquàm boni abs te expectabimus? Sathane addicis nos? Concilio ipse non eges? quod quid est aliud, quàm dũ obstet nemo, tu in Germania impunè insanias, ferasq;, ac misceas omĩa tuo arbitratu, vt velis? An hec non ab ipsis inferorum portis palàm sunt abs te ducta? non à Spiritu Dei

Dei mihi crede iste manauit sermo, qui pacis, & vniõis author est: qui si qui in te esset, idẽ te loqui coegisset, que olim loquebatur ille, qui cum nullius rei sibi esset conscius, nõ in hoc tamen iustum se esse duxit: quem tu si imitari voluisses, opus tibi esse Concilio scripsisses, vt aliquando Germaniam tot, ac tantis incommodis liberares, illaq; bona, vel nature, vel ingenij, que Deus in te contulit, ad communem salutem potius conferres, quàm ad tuorum perniciem. quorũ quanta sit iam facta diminutio vides. Cogita enim queso Luthere, quid adhuc acciderit nobis? tum facilè de calamitate nostra statues: quos Duces Germania, quos exercitus ãmisit, dũ fessa bellis ciuilibus in aciem prodit? tua opera, dum distracta, ac dissipata conuenire nequit? nihilnè te tot accepte clades, tot ciuiũ tuorum interitus commouent? vt aliquãdo flens, & dolens agnoscas errorem tuum, Germanosq; tuos in extremo iam penè spiritu nobiscum coniungas? Orant te omnes cetere nationes, atq; obsecrant Luthere, vt nobis fratres nostros Germanos restituas, neue eos perire sinas, quorũ occasu orbis ipse terrarum cadet: potes pacẽ restituere nobis Luthere, potes, omnia in te sunt, que aut ingenium

K

genium hominibus, aut natura largitur: nolo te priuare laude tua. Verùm hęc pręclara, atq; diuina, tū demū verè erunt bona, si tu illis in Ecclesia cōstituenda fueris vsus, & si paulò submissius ipse de te senseris, quod tū erit, si tibi anteposueris eos, qbus vt pareres, pręcepit tibi Christus; & si nō semper tuo iudicio stabis, sed etiā alieno. Quod vt facias cum pietas ipsa, tū verò patria tua misera, atq; afflicta Germania abs te postulat, cuius causa tu omnia remittere debes: & illud videre, ne cum Romano Pontifici nocere cogitas, patrię noceas, & inprimis tibi ipse, pręsertim cum frustra te cōtra niti videas, neq; plus in expugnāda Ecclesia proficere, quàm olim ꝑfecerant Arrius, Manicheus, & Hus Bohemus, qui cum Romano Pontifici principatū abrogare, & illi claues eripere, & Petri cōfessionem ex Ecclesia delere conarētur, illi quidē in impietate sua occiderūt, Ecclesia autem ad hanc diem integra manet, & deinceps manebit, nō humano cōsilio, sed Christi promisso, quo is Ecclesiam suam supra Petram conditam perpetuam fore promisit: quam ita cōtra communem vim externam muniuit, vt nihil cōtra ipsam essent valiturę omnes inferorum portę. Quę quāto magis vexata

vexata per te Luthere iactataq; fuerit, tanto illa erit robustior contra te: habet enim hoc ipsa, vt langueat otio, pace verò defluat, & contabescat, vt facilè inde, ni quotidie agitetur, capiat vitium: quòd tum in illam omnia illa influant vitia, quę diuturna parit pax, vt est securitas, ex qua ęmulatio nascitur, inde odium, ex hoc contentio, deinde dissidium sectarum fomes, atq; omnium malorum ęsca. Contra verò cum exercetur externo hoste, intus in officio est, in omnes partes intenta, Sic illa sobria, casta, docta, perita, erecta, cautaq; redditur, perenni turba, atq; bello: hancq; illa habet ceu cotem suę excellentis virtutis, validas videlicet interorū portas, Tyrannorum omnium, ac sęditiosorum hominum fidele domicilium, quibus cum dies atq; noctes continenter bellum gerens, facilè intelligit hoc suum esse, vt nunq̄ conquiescat, vacuaq; sit vestris Luthere seditionibus: vt hac vna re maximè excellat, insignisq; habeatur, quòd nihil ab ea tam sit alienum, quàm pax, & quàm est otium: vt non alio etiam magis cognoscatur, quàm curę sit Deo, quàm ista assidua iactatione, ex qua elucescit, insignisq; est ipsius Ecclesię vis, atq; virtus: vt hoc vel inprimis ad

K ij cognoscen

cognoscẽdã Ecclẽsiã, valeat quod de inferorum portis iam est dictum, & quod quartũ in ordine signorũ fuit, & quod à nobis etiã positum fuit vltimum, cũ de Ecclesia dicere instituissem.

De laudibus Romanę Ecclesię, & ad illam tuendam exhortatio. Cap. XII.

ABbsoluta à nobis est eius Ecclesię forma, cui bellum indixit Lutherus, quę cum sit mater omnium nostrum, ęquũ est, nos opem illi ferre, neq; pati illam ab hoc homine euerti, qui hostis est fatalis eius Ecclesię, quam summa dignitate, vetustate, atq; vtilitate commendatam nobis maiores nostri reliquerunt: quę suorum ciuium non colonia est, veluti nouerca quędam, sed vera patria, atq; adeò mater, vt in eam nõ aliundè ciues sui venisse, sed indidem omnes orti esse videãtur: cui soli verè gloriari licet, quòd ipsa ex sese suos ciues genuerit, vt eorũ eadẽ parens, altrix, patria dicatur. Ecclesię hęc laus est, non Athenarum, quę falsò sibi hanc laudem summunt, habent enim ortum Athenienses ab aliquo homine mortali, sed ita tamen obscuro, vt dignus non esset, qui à suis vel de nomine sciretur. Nostra autem Ecclesia, clara origine, non Troiano à sanguine, neq; Lydio ortum ducit, sed ab ipso Deo, à quo est condita, statim post hominum genus natum, quę nos ędidit, maioresq; nostros. Quam quidem ob rem sola est inuenta, quę laudetur non à nobis solum, quos illa ab se ortos in suo fouet sinu, sed etiam ab his, qui ex illa nati degenerarunt, quos illa tanquàm subditos exclusit, & quibus cum continenter bellum gerit. Quis enim Ecclesię hostis fuit, qui Ecclesię ipsius nomen tum non vsurpet, cum Ecclesiam ipsam maximè oppugnat: tantum nomen est ipsius Ecclesię, tanta dignitas, vt hostes etiam sui assidui, & acerbi, omne suum scęlus, contra Ecclesiam, ipsius Ecclesię sancto, atq; specioso nomine tegant: ne si non solum exclusi ab illa, sed etiam bellum illi nepharium inferre videantur, non solum scęlestissimi omnium, sed etiam stultissimi habeantur. Quid enim quęso scęleratius fingi potest, quàm inde aufugere, vbi vixerũt, te q; genuerunt, ac mortui sunt omnes maiores tui? Quid verò stultius, quàm eam

Ecclesiam, quasi vberem quandam terram,
atq; fœcundam desereret? quę suos ciues nō
solum ex se efferre potuit, sed etiā eos quos
genuit alit, nō telluris fructu, sed insito atq;
suo, nimirum illo, qui non ex Atheniensi
arido solo, sed ex illa viua petra ducitur, in
qua Ecclesia est condita, qui cum aptus, con
ueniensq; sit hominis naturę, fortes, &
salubres pręstat suos Ecclesię ciues, quos
neq; contagio lędit, neq; externa vis labefa-
ctat. Iam verò ad hęc disciplina etiam acce-
dit, quę quasi cibus quidam est, benè institu
torum hominum, ex qua sanè perfecti fiunt,
absolutiq; viri, qui in Ecclesia nō populare
Imperium, sed optimatium regnum consti-
tuunt, in quo regnamus nos omnes ęquali-
ter cū Christo: nullam prerogatiuā, hic fert
pecunia, nullā genus, nullā amici, sed si q lo
cus excellētię apud nos est, hic inter nos sapiēs,
hic rex habet, q timet Deum, qui iustè, qui
piè viuit. Quorum quidem tantus est apud
nos numerus, vt nulla gens sit, nulla natio,
quę partem huius Ecclesię sibi nō vendicet,
in qua iustè viuat, quam tueatur, & in qua
excellat omnibus illis rebus, quę ad beatam
vitā pertinent. In q illud est mirabile. Cum
enī tot sint, lingua, moribus, ac literis inter se

distincti, tanta tamen communitas illis om-
nium rerum, tanta societas est, vt in tam bo
nis, fructuosisq; rebus, quibus communi
ter perfruuntur, nulla sit inter hos dissensio,
nullus tumultus, nullum bellum ciuile, con-
traq; summa fide, summaq; charitate, horū
alij sunt in alios. Huc accedit quod consen-
sum facit, quòd non vulgi opinione, neq;
paucorum libidine, sed vnius arbitrio rectè,
& ordinè rem gerentis, Ecclesia nostra regi-
tur, qui cum ipse à se dissentire non possit,
facilè in consentiente ciuitate pacem custo-
dit. Iam verò, quo splendidiore ciues, qua di
gnitate viri sint huius ciuitatis, pretereundū
non est: neq; enim ex fece Romuli pasto-
res, neq; illi falso habiti sapiētes, huius Rei-
publicę sunt ciues, sed homines vera sapien-
tia prediti, quorum nō in Academia Plato,
neq; in Peripato Aristoteles, sed ipse Deus,
in Ecclesia magister, & doctor est, qbus so-
lis hoc docēte licuit rerū cognoscere causas.
Nec quarumlibet, sed illarum, quarum co-
gnitione vita ipsa, atq; salus hominibus da-
tur, cuius doctrinę illa est summa, vt scia-
mus Christum Iesum esse datum à Deo
propiciationem pro peccatis nostris. In hac
cognitione, si cōferatur, qui Plato non bar-

barus? aut qui Aristoteles non indoctus videbitur? qui inani nomine sapientię tumebant in media inscitia. Hi enim dum fines bonorum querunt, dũ ciuitates ipsi fingunt, inuenire tamen non poterant, in quo, aut vbi ad extremum conquiescerent. Et cum Plato decem libris ciuitatem ędificaret, non in ea tamen, quam finxit, sed Athenis, quas incertus author condidit, est mortuus, ita illi omnis illa ciuitas tenues abijt in auras. Nec mirum, virtute enim ciuitatem suam niti volebat, qua carebat ipse, & om̃es sui. At quãto nostri melius? quorum ciuitas cum perfecta, absolutaq; virtute nitatur Christo Iesu, Dei filio, in qua nihil est Platonicè fictum, nihil adumbratum, nihil ementitum, sed omnia sunt solida, sincera atq; vera, non humano stilo in chartis exanimis, sed in nostris intimis pręcordijs digito Dei expressa, facilè finem bonorum esse viderũt Christũ Iesum, ad quem etiam omnia retulerunt. In eaq; ciuitate conquieuerunt, quam non inanibus descriptionibus Stoici, aut Platonici finxerunt, sed quam Dei filius spiritu redimito, ac sanguine fuso condidit, legesq; illi dedit, non quales Solon Athenienſibus, neq; Lycurgus Lacedemonijs tantũ vtiles, sed illas

sed illas quarum fructus etiã ad inimicum confertur. Cui quidem legi, quę mirabilia Stoycorum nõ cesserunt? aut quid erat tam ignotum Soloni? tã incredibile Lycurgo? quàm amare eum, quem iurè odisses? quod ab illis pretermissum, sic Ecclesię dignitatẽ auxit, vt hac vna re facilè excellat. Sic nos facti, sic etiam instituti sumus à Rege regũ, Christo Iesu, domino nostro, qui ad extremũ ita genus nostrum dilexit, vt ne mortẽ quidem pro nobis dubitaret oppetere, qua ille nos docuit, quã essemus ęrumnosi, atq; infęlices, vt nisi is pro nobis mortuus reuixisset, nobis in perpetuum moriendum fuit. Quod ille ęqualiter prestitit omnibus, neq; in hoc illius communi in nos beneficio, Iudeus Grecum, neq; dominus seruum, neq; inopem, diues anteuertit, sed omnes pares in hoc, ęqualesq; habemur. Et iurè quidem. Cum enim cęterarũ gentium omnes Respublicę, ex dissimili hominũ genere constent, inter quos valent opes, clientelę, copię, vnde suum quisq; genus anteponens, contemnit alterum, meritò etiam in his, alij seruiunt, dominantur alij, quorum apud nos nihil ideò est, quòd omnes sumus inter nos genere pares. Cum eñ Deus, pro nobis factus homo, ad se

ad se solum nos pertinere vellet, id quoq;
ad cetera sua merita addidit, vt illius ortum
imitati, nihil in terris caducum, nihil morta-
le nobis poneremus, sed ad illum ita pertine-
remus, vt nec mater, nec pater vllus nobis
preter illum esset. Quare ex aqua nos in la-
uacro, & ex spiritu iterum nasci ideò omnes
voluit, vt ortu quoq; ipso similes illi essem⁹,
dum quidem aqua nobis idem esset, quod
illi virgo mater fuit, Spiritus autẽ idem ipse
sanctus, ratione licet diuersa, ita tñ nobis au
thor vite esset, vt illi nascendi fuit. Ex qua sa
ne ratione nihil tam alienum est, à nostra ci
uitate, quàm hunc seruum, illum verò domi
num dici, ita par ac vndiq; equalis ortus no
ster, equalitatem in Ecclesia tueri nos cogit,
vt neq; dominus inter nos quisquã sit, neq;
seruus, quod ita inter nos valet, vt ipse Chri
stus quoq; nos nõ seruos, cum iure posset,
sed amicos, cum nos diligeret, suos dici vel-
let. Quibus cum vt omnia communicaret,
que secum in terras coelitus detulerat, iccir-
cò coelum ipsum postremò nobis tradidit,
quò nihil seorsim à nobis haberet sui, quod
vt ad nutum nobis pateret, claues dedit,
hasq; vni inter nos eximio commisit, quibus
ille certo ordine, atq; modo in rem nostram
vteretur

vteretur: quem ideo non regem, non Ty-
rannum appellauit, quòd in altero arrogan
tie multum, in altero humanitatis nihil esset:
sed pastorem illum dici voluit, quòd in hoc
sollicito, atq; mãsueto pastoris nomĩe, nihil
inesset, preter curam, diligentiam, atq; amo-
rem in suos: sic ille huius istius conditor Ec-
clesie Christus Dominus, omnem à nobis
remouit superbiam, omnem etiam crudeli-
tatem, studium tantum ac diligentiam reli-
quit. Deniq;, cum Ecclesiam eternã, per-
petuamq; esse vellet, perfecit, vt nos numero
copijs, ingenio, viribus inuicti essemus. At-
q; harum rerum factum est à nobis sepè
periculum domi, & foris, vt nihil tam sit cõ-
iunctum, & quasi compactum inter se, quã
nos sumus: nihil tam vnitum contra externã
vim, quã ipsa est nostra Ecclesia, in qua à
primo ipsius ortu, ad hanc vsq; diem fidei,
constantie, ac fortitudinis, tam pace, quàm
bello plurima eduntur exempla, que si enu-
merare pergo, vires me deficient: tum verò,
quòd illa testimonio literarum, ac ipsius or-
bis terre memoria versantur in cõmuni vita
abuti tempore videbor, si ea reppetam, que
nota sunt omnibus, Illud tamen ponam, Ec-
clesiam, cum putabatur deuicta esse, tũ vi-
cisse: & non

et non tantum homines ipsos, sed etiam ipsorum hominum opiniones sub iugum misisse: nec verò vltra hanc victoriam longius processit, neq; enim illa odio hominum cum ipsis hominibus bellum gerit, sed eorũ charitate adducta, vt eos recuperet, quos deceptos à Sathana ad interitũ ire videt, pro quibus cum periclitatur, suis, non alienis presidijs nititur, libertatiq; nostrę studens, suiipsius interdũ obliuiscitur, omnia fert, omnia tollerat, pręteritorumq; recordatione, ac spe futurorũ, ęquius fert presentia incommoda, sperat etiam quotidie meliora: dum quidem meminit, quanta iã pericula pro communi salute superarit, vtq; hęc quę restarent, exigua sint, & breuia. Quę tamen ipsa compẽsarentur nobis illis vtilitatibus, quę vel amplissimę à nobis ex eo percipiuntur, dum in ea Ecclesia permanemus, quę quasi quędam pręclara hęreditas nobis à maioribus nostris est relicta: in qua qui non est, eũ interire est certũ, caret eñ his rebus, quibus datur salus, quę; tamẽ ipsę, nisi in ecclesia nusq; alibi reperiuntur. In hac eñ propitiũ nobis habemus Deũ, hic peccatis est venia hic nobis ad cœlũ patet via, In hac habemus doctores veros, in hac scriptores, Gręcos, Hębreos, Latinos, quorũ monumentis illustratur, atq; eruditur vita nostra: habemusq; hanc Ecclesie gratiam maximã, quòd illius censura certi sumus, quorum scriptis fides adhibenda à nobis est, & quorum non: vt soli omniũ probabilitate non fallamur, sed veritatem ipsam sequamur: ita, ut si à nobis discedas, non habeas deinceps vnde possis discere, piè viuere. Et erit quisquam qui hęc parua ducat? & minime digna pro quibus vitam, si sit opus profundat? presertim cum hęc, quę modo posui, cum ea Ecclesia defendãtur, quę à primo suo ortu pari semper dignitatis laude floruit, pro qua veteres illi, qui non corporũ nostrorum solum, sed etiã huius nostrę fidei patres fuerunt: quot pericula adierũt? quos Tyrannos? quas hęreses sustinuerunt? Gręcorũ, Aegiptiorũ, ac Latinorũ, dum Ecclesiam nobis saluam tradere student? Quam cum communi cõspiratione penè orbis ipse terrarum delere vellet, cum alias, tum vel inprimis, cum homini post homines natos teterrimo, atq; impurissimo Arrio, ipsi quoq; Imperatores Romani cum Grecis, atq; adeò cum multis Latinis, opem cõtra Ecclesiam ferrent, quę fides? quę vis tum illa maiorum nostrorum in defendenda Ecclesia? quę cõstantia

stantia fuit: qui cum oppressi iam, deuictiq; esse putarentur, victores extiterunt illorum, quibus cum pugnabant, Ecclesiamq; saluã suę clarissimę victorię testẽ nobis reliquerunt. Quorum meminisse nos conuenit, vt non tantum factum illorum miremur, sed etiã vt illos imitemur, à quibus orti sumus, vt quorum fide Ecclesia declarata est esse inuicta, eorum etiã exemplo à nobis in perpetuum maneat defensa: cum enim simus illorum genus, ęquum est nos ita illorum in nostris votis, ac sacrificijs publicis meminisse, vt precemur nos illis quàm simillimos effici: vt in tuẽda Ecclesia retineamus illorũ mentem, atq; illam naturam, quam ab illis accepimus, ingenuam, liberam, constantem, & omni hęresi aduersam: vt integri, sinceriq; illorum simus nos posteri, quibus nihil ad mixtũ est hęretici generis, ac sanguinis, vt in nostris animis vera eluceat patrum nostrorum virtus, quos imitemur semper, ante oculosq; habeamus. Quod si erit, turpè ducemus nos ex ea Ecclesia, quasi ex quadã illorum custodia, decedere, in qua illi sepulti sunt, hoc illi à nobis volunt, hoc etiã ipsum mortui nobis commendant, vt Ecclesiam talem posteris nostris tradamus, qualem ab illis

illis accepimus. In qua defendenda si cętera nos deficerent, illud certè satis nobis esset ad victoriam, quòd ea Ecclesia, qua nos nunc vtimur, in omni hoĩm retroacta memoria semper plurimum potuit. Ego, (dicendum enim est,) si nihil aliud in Ecclesia haberem, nisi hanc integram cõtinuationem seculorũ, qua Ecclesia ad meam vsq; peruenit ętatẽ, defendendam tamen mihi illam omni ratione putarem: quòd enim hęc Ecclesię series à primo initio per tot secula ducta, in tam varijs, atq; assiduis periculis non est interrupta, id non humano consilio, sed diuinitus factum, atq; curatum esse certò scio. Neq; mihi hanc sententiam eripi patiar ab istis, qui hęc nuper docere cęperunt, omnem videlicet superiorem ętatem, cui nos successimus, declinasse de via, quorum tamen, superiorum dico, authoritas apud me tãta est, vt si cętera omnia isti habeant integra, tamẽ cum à maioribus nostris dissentiunt, nobis audiendi nõ sunt. An ego maiores nostros, qui in Polonia vixerunt, propterea in penã impiorum detrusos putabo, quòd illi bonã vitam eam demum esse censebant, quę fide niteretur, atq; factis, neq; ad istorum morem, hęc duo natura coniuncta, vnquam seiunxerũt:

xerunt? quod cũ illi vtrumq; non disputan-
do, sed ita viuendo expresserint, quid est cur
illos beatos, ac immortales esse negem? quo-
rum vt vita, sic laus iam emori non potest:
Quamobrem licet irrideat si quis velit, plus
apud me valebit duorum sapientissimorum
virorũ, atq; optimorũ Pontificum, Stanislai
atq; Alberti authoritas, quàm recens ista
Germanię opinio, quę eum statum Ecclesię
peruertit, quem ij duo ante annos quingen-
tos in Poloniã introduxerunt, summoq; stu
dio retinendum nobis persuaserunt. In quo
iam tum Cardinalis, Episcopus, Papa, anti-
qua erant nomina, non noua, vt Lutherus
nunc vult videri, authoritas etiam earum re-
rum, eadẽ in Sarmatia tum fuit, quę nũc est.
Quòd si quis nouis rebus ducitur, & si quã
vim vetera habeant ignorat, ex contentione
de vtrisq; iudicet, dubiũ non est, qn, si rectè
perpẽdat, vetera anteponat nouis. Quis enĩ
est ita despiciens sui, qui vt alia pretermittam
non malit ibi esse, vbi munitus sit aliquo le-
gum pręsidio, quàm vbi nulla est, neq; le-
gum, neq; Magistratuum ratio? quę tamen
res multos ex Ecclesia eiecit, & partes Lu-
theri sequi iussit. Vtra enim est splendidior,
vtra illustrior commemoratio Germanis,

illa ne

illâne vetus, in qua illis Volfgangos, ac
Rupertos iactare licuit, an hęc quę nuper
increbuit, in qua dominatur Lutherus? cum
in illa superiore omnia certis legibus, atq;
imperijs tenerentur, in hac verò posteriore,
summa sit omnium rerum licentia: non du-
bito, si ad calculos vtranq; rationem reuo-
cauerint, quin intelligant, quantum decesse-
rint de via. An quod ad commemorandum
est honestius, id ad viuendum nõ multo vi-
deri debet equius? vtra igitur gloriosior fue
rit prędicatio vobis Germani, an cum vno
ore omnes diceretis isto modo. Nos Germa
ni eam Ecclesiam tuemur, in qua maiorum
monumenta videmus, eam etiam rationem
Ecclesię sequimur, quam nobis patres no-
stri Volfgangus ac Rupertus olim prescri-
pserunt. An verò cum ita: discessimus ab in-
stitutis patrum. M. Lutherum ducem, & au
thorem sequimur, qui maiorum instituta
partim mutauit, partim verò deleuit: dubi-
tatis quonam pacto id aures piorum ferret,
& quod discrimen inter hęc ponerent? Cur
autem id quod prędicare honestissimum fu-
erit, non sequimini Germani? Lutherúsnè
vobis tãti fuit, vt eius causa maiorès vestros
sperneretis? mortuósne is vobis excitauit, vt

 his

his testibus sceleratos fuisse vestros veteres Pontifices, vosq; ab illis deceptos esse conuinceret? Experti igitur estis huius hominis disciplinam, quę ita vos afflixit, vt nihil iam certi in Germania habeatis, sed in tanto motu rerum, conuersioneq; versamini, vt nulla charitas inter vos sit, nulla stabilis beneuolentię fiducia. Neq; verò id inter priuatos est solùm, sed multò etiam magis inter vestros principes, è quibus vix duo, aut ne vix quidem tota in Germania reperiuntur, quibus aliquid conueniat inter ipsos, sic rationē omnem pacis, cum vestigio concordię non modò ex ędibus, sed etiam ex vrbibus vestris Lutherus deleuit, dum vos à veteribus religionibus, institutisq; vestris abduxit. Quo fit vt neq; in Comitijs stabilia sint vestra consilia, neq; in bellis illa maiorum vestrorū dignitas vsquàm iam appareat. Spernimini mihi credite Germani, quantumuis licet virtutē vestram iactetis, ab his, quibus cum signa confertis: vt iam apud Turcas Germano milite vilius sit nihil, quid ita? quia frustrà sunt foris arma, nisi sit consiliū, pax, consensus domi, quibus cum careatis, mirū non est, si cętera quoq; amisistis, quibus exornatam Germaniam à maioribus vestris accepistis

accepistis. Quorum, quę virtus fuerit, quę dignitas, quanta deniq; omnium rerum bello, & pace authoritas, quę ingenij vis, quę oratio verbis poterit consequi? vos ab illis orti, tandiu floruistis hac laude, ac imitatione maiorum, quòad erant vobis inaudita ista pręclara Lutheri Psephismata: nunc verò cū Lutherus, homo ingenij plenus, apud vos vetera commutet nouis, nescio quomodo illud pręclarum, ac magnificum Germanorum nomen vobis de manibus elabitur, quod, nisi quàmprimum ad institutum maiorum reuertimini, funditus amittetis. Neq; verò vobis sufficere debet id, quod vosipsi de vobis domi sentiatis, sed quò numero, quòve in precio apud hostes sitis, id verò vel inprimis cogitare debetis: quorum in optatis hoc est pręcipuum, ne vnquàm dissentiatis à Luthero, quò facilius vinci possitis, cū illi fidem omniū rerum habueritis: nemini enim dubium esse, hostes nostri communes putāt, quin tamdiu, dum ita valeret is apud vos, nunquàm consentire, nunquàm etiam rationem defendendi vestri inire contrà se possitis. Quod quàm sit verum, testes sunt calamitates vestrę infinitę, quę alias quoq; prouincias afflixerunt contagionibus malorū.

 Recordamini

Recordamini quęso Germani, quoties sanguine vestro redundauit Danubius? quas strages? quas cędes? quantos vestrorum exercituum interitus vidit Buda? illa etiam in Illyrico Cacianero duce āmissio exercitus, quàm calamitosa vobis, quàm omnibus fuit ęrumnosa? quę tanta omnium iudicio extiterunt, vt calamitatibus vestris Turcarum opes auxisse videantur, quorum causam si qs quęrat, non aliā reperiet, pręter hanc quā dicam. Cum enim in Germania pauci vnū apud vos sentiāt, & cum de eo quod quisq; sentit, pugnat cum altero, vt idem sentiat, exortum est inter vos hoc fatale dissidium, quod, beneuolentia sublata, tollit etiam ex vobis illam pugnandi alacritatē, qua mors ab altero mutua pro altero aditur; quod si dubium antea fuit, nuper apud Pesthum patefactum est, vbi exercitus vester, omnibus rebus paratus, atq; instructus, priusquàm in cōspectum hostium venisset, dilapsus, dissipatusq; est. ô ignominiam notandam: nō tales vos Italico bello, non tales Gallico fuistis, cum Imperatores vestri, Maximilianus primùm, ne vetera repetam; deinde hic Carolus Cęsar, tantum virtute vestra confiderent, vt eodē tempore cum numerosissimis

variarum gentiū copijs, cōfligere nō dubitarēt. Q. quidē Cęsar bello Gallico maximo, Rege capto, victoriā illam vobis acceptam tulit, quòd eā virtute vestra erat adeptus. Atqui illis temporibus hęc trophęa à vobis constituebantur, cum rudi illo scilicet seculo nondum didiceratis à Luthero, opera segregare à fide, cum Romanę sedi suum honorem habuistis, cum ieiunastis, cum Diuos coluistis, cū solo corpore in Ecclesia nobiscum absq; calice vsi estis, cum deniq; nihil peregrini, neq; alieni antiquis traditionibus addidistis; sed veteribus institutis, religionibusq; vestris cōtenti, vnius mentis, atq; sententię cum essetis, facilè fuistis inuicti, cum & Deum propitium vobis, & ciues consentientes inter vos haberetis. Harum rerum recordatio, si nullo vos doloris sensu mouet, non dubito, quin sitis cōmuni nostro malo miserrimi, cum nec ipsi vobis exemplo estis, quo aliquando resipiscatis, neq; tantas res in discrimen adducatis, nullius rei gratia. Quid enim causę afferetis, si quis ex vobis quęrat, cur à maiorum disciplina ita recessistis, vt perire malitis omnia, quā prisco more, institutoq; viuere? quid vos offendit tantopere? quid etiam alienauit ab Ecclesia ve-

teri: libet enim vobiscum recensere superiora, quę de ratione Ecclesię à nobis iã sunt dicta: Locatam esse Ecclesiam in petra vultis, hoc idem poni á nobis videtis. Vt ritè atq; ordinè in Ecclesia res omnes fiant postulatis, id nos quoq; clauium nomine comprehendimus, à vobisq; petimus, ne hunc ipsum ritum veterem, atq; ordinem perturbetis inuentis, atq; decretis Lutheri. Ecclesia vt suos pręfectos habeat vultis, quid autem nos aliud agimus, quã vt nauis habet nauclerum, sic Ecclesia habeat suũ patronum: ad quem tamen cum est ventũ, nescio quomodo inter vos dictũ, non dictum fit, quòd dictum fuit prius. Vnum in cuncto Romano Imperio. Q. Cęsarem rebus preesse vultis, in Ecclesia Paulum tertium non vultis: aut igitur vobis reddenda est causa, cur absq; vno Imperatore Romanum Imperiũ stare nequeat, cũ Ecclesia, quę latius patet, ampliorq; est vestro Imperio, absq; vno moderatore Pontifice vestra sententia stare possit. Aut si par est vtriusq; ratio, cõcedatis necesse est, in Ecclesia quoq; vnũ aliquem principem, qui vigilet pro multis, & quasi parturiat vnus pro pluribus. Sed fortassè dicetis, Princeps in Ecclesia & caput solus est Christus

est Christus, quasi verò in Imperio vestro alium Principem, aliud etiam caput habeatis, preter Christum dominum: Si itaq; de summa rei nobis conuenit, cur non quasi postliminio reditis in Ecclesiã: cur nobiscũ non conspiratis: cum vnus Deus, vna fides, vnum baptisma sit omnium nostrum: Romam inquitis non ferimus, in qua omnium libidinum, peccatorũq; patet licentia: quero num isti mores, quos dicitis, sunt Augustę: num Norinbergę: nũ Vitembergę: num in aliqua alia Germanię parte: absit inquitis, Romana sunt hęc. Romano igitur malo hęc fiunt, non vestro: vt illis meritò videantur esse turpia, quos maculant, non vobis à quibus sunt remota: quanquam ego nihil humani à vobis etiam esse alienum puto. Sed sint hęc, auariciam tamẽ illam dicetis, non ferimus, quibus quotidiè exhauriuntur Prouincię, Palliorum, Anatarum, Taxarũ nomine: quis verò hęc fert: aut cui non dolet, Romam confluere, quicquid vsquã nũmorum in orbe est: Neq; verò ego sum ille Ioannes Hieronymus Albanus Bergomas, qui è flamma cibum petens, induxit animũ assentari, quasi alter in Comędia Gnato, applaudens vitijs Romanis: ita, vt omnia illi

 ciuitati

Ciuitati licere putet, idq; non solum ille decretali, sed etiam glossa, ac paragrapho probet, ne si parum inepte assentetur, nos illum Bergomatem esse nesciremus. Is ergò in eo libro, qui ab illo de potestate Papę, & Cōcilij est scriptus, omnia licere vrbi, atq; Papę etiam nepharia arbitratur. Nos autē qui vitia Polono more, ne in parentibus quidē probamus, neq; in vrbe Roma etiam probabimus, suscepimus enim hoc in libro causam non vitiorum, quę Romę fiunt, sed ipsius Romanę sedis, quę nihil commeruit, cur spernatur à nobis ob deprauatos curatorum suorū mores. Aduersus quos tamen sunt Concilia, sunt leges, sunt sua Ecclesię iudicia, quibus hęc corrigantur, vt perturbare omnia minime sit opus, morum corruptorum gratia: vt vobis Germanis nulla sit reliqua excusatio, quominus Ecclesia veteri amissa, in hac noua Lutheri pereatis, cum rebus vestris. At quantò consultius foret Germani, si odio deposito, in Concilium omnes veniremus, vt de eo, quod causam lędit communem, pacatè, ac quietè cognosceremus, vt sic vltrò, citròq; rebus compositis discedamus inde bona cū gratia. Presertim cum id agere, id etiam velle Paulum Tertiū

videatis

videatis: cuius pręclaram voluntatē, & animi inductionem, & si more suo calumnietur Lutherus, tamen huc spectare illū res docet ipsa, vt reddita pace Ecclesię, de rebus omnibus liberum fiat Concilij iudicium, in quo armis depositis ociosè disceptetur, quid neglectum à nobis, quid úe mali allatum sit à Luthero. Ad quam rem perficiendam Imperator ipse primum, deinde Reges, ac Principes omnes, operam suam illi profitentur, Pontifices preterea minores omnes, vident enim, & sentiunt, aliter afflictę Ecclesię prouideri non posse, nisi fiat quàmprimum Liberū, Christianū, in Germania, Conciliū. Quod, vt eueniat, cum omnes homines omnium ordinū, atq; ętatum, tum verò vos inprimis Pontifices, ad vos enim iam redeo, curare debetis, vestrum hoc munus est, vestrum negotium, vestra prouintia, vos enim estis in hac custodia Ecclesię ideo collocati, vt tempestatem venientem prospiciatis, & pręsentē iam iamq; in latus Ecclesiam ferientem excipiatis, repellatisq;, vobis hoc spiritus sanctus ore Diuino Pauli Tharsensis pręcepit, sic enim in Actis perscriptum extat.

Attendite

Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctns posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acqsiuit sanguine suo. Ego scio quoniā intrabunt post discessionem meā, lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobisipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

Hoc vobis madatur his verbis, vt videlicet, Episcopi sitis re, non solùm nomine, vt si quid sit quod offendat, vt id cū vestigio tollatur à vobis ex Ecclesia. Quod vtiq facilè factu vobis non est, nisi ita vixeritis ipsi, vt ne quid in vobis reprehendatur: & ne ita peccetis, vt & in monendo alios, fidem, & in reprehendēdo, authoritatē vestram amittatis. Si enim quisq sibi in vestris peccatis veniā quęret, quid est preterea, quod in officio homines contineat? quomodo em̄ tu mihi pręcipies non furandum, non Mechandū, non potandum? cū ipse furti, stupri, vini plenus es? trahes me mihi crede vel inuitum in eandem societatem scęlerum tuorum, dum vitā tuam

tuam intueor, quę vt benè viuendi exemplum est mihi, sic etiam existit sępè causa peccati, quo me pręcipitem ferri est necesse, dum exemplo tuo ad illud impellor. Vobis igitur Pontifices ante alios curandum est, vt castè, integrèq in Ecclesia Dei versemini: vt splendor vitę vestrę ita luceat, vt nullę illi sordes, nulla macula allini possit: retinete etiam dignitatem veterem ordinis vestri, quę integra esse nequit, nisi hoc de vobis vulgo sit persuasum, vos bonis artibus ad Episcopatus peruenisse. Quę em̄ dignitas, quę authoritas, quę, vt sic dicam, Maiestas, ordinis vestri apud homines esse potest? cū sic notamini à prętereuntibus. VIDEN tu illum? hic ita ambiuit, ita contendit, tot noctes vigilauit, tantum dedit, quò Episcopus esset. Iam, quę illa est turpitudo sursum, ac deorsum currere, blandiri, polliceri, vt summū gradum in Ecclesia Dei teneas? in quē cum perueniris, id quod ferendum non est, relinques tuam Ecclesiam, vt alias res agas, vt compendio seruias, vt genium cures, rumorem captās, & ad omnem auram vulgi, mentem, ac vultum mutans. Et tu tamen cum ita ipse te abieceris, integram dignitatē tuam apud me esse voles? interdicto etiam me terrebis

me terrebis, vt te formidē, vt te amem? Dic
queso quisqs es, qui Interdicto, nō vitę mo
do dignitatē tibi int hoīes concilias: si Petrū
illū veterē, aut Paulū, & ex istis minoribus
Volffgangum, Prosdocymū, Dionisium,
Rupertum, & cęteros ex illa antiquitate vi-
ros, tales fuisse accepissemus, quòd hi trita
hac nostra via ad Episcopatus peruenissent,
quòd pro Episcopatu dato hostiatim princi-
pibus gratias egisset, quòd relictis Ecclesiis,
alias res egissent, quòd in Ecclesia nūquàm
auditi fuissent, quòd errātes Reges nunquā
reprehendissent: deniq; quòd isto statu, ha-
bitu, ac luxu essent, quo sunt pleriq;, dic qui
hęc probas, tecum enim mihi est hic sermo,
quis illis viris, quos iam dixi, non dico sedē
in cœlo, sed omnino locum aliquem in tri-
uio nunc concederet? Alia mihi credite Pon
tifices ratio illorū fuit, alij vitę gradus, qui-
bus illi in cœlum ascenderunt: quorū vitam
paulisper nobiscū si libet recordemur, vt in-
telligamus quàm longe nos discessimus ab
illis, dum interdicto, non vitę modo autho-
ritatem nostram tuemur. A collegio illi suo
Episcopi deligebātur inuiti, hocq; pręcipuū
est, quod nos admiramur in illis viris, fuisse
nimirum illos tanta cōtinentia, tantaq; disci-
plina

plina, vt quòd nos omni studio quęrimus,
id illi precibus, ac metu vix adducti accipi-
ebant; ex qua re meritò illi & in Ecclesia
Pontifices, & in Senatu patres habebantur,
in quem comitati pręstantissima dignitate
veniebant, Authores fiebāt publici consilij,
Reges, perniciosas leges ferre prohibebant,
non solū sententia, sed etiā Interdicto, id qđ
à plurimis in Polonia sępè est factitatū: vn-
de etiā est factū, vt antiquiorem in Senatu
sententię dicendę tenerent locum. In quo cū
illi satisfecissent Reipublicę, redibāt magna
cum authoritate ad illud pulcherrimum suū
Pontificale munus: quod illi ita tractabant,
vt homines illorum vitam, atq; linguam ad
mirati, plurimum illos valere non in vita so
lùm communi, sed etiam in rebus suis priua
tis sint passi, cum quidem omnia, quę habe-
bant, ad pedes illorum afferrent. Neq; enim
(vt Lutherus calumniatur) est credendum,
fraude tantas pecunias Ecclesię venisse, mi-
nimè verò: vitę integritate, sanctitate, fide
virorum illorum, non fraude, neq; impostu
ra, Ecclesia in has tantas possessiones perue-
nit: cū vulgo homines debere se, & sua, ta-
libus viris confiterentur, quos rebus ipsorū
melius scirent consulere, quàm ipsi sibi. Iurè
igitur

Igitur tum florebat Ecclesię catholicę nomen, cum tali continentia Episcopos haberet, quorum integra, castaq; vita est perfectum, vt Ecclesia verè esset vniuersalis, cum homines vndiq; properarent ad eos Episcopos, qui se non iactatione populari, sed vitę innocentia omnibus commendabant, qua illi allectabant, homines, & quasi inuitabãt ad eam Ecclesiam, quã gubernabant. Nunc verò sine lachrimis hoc dici nõ potest, quanta diminutio Ecclesię sit facta, videmus: vt iam pręter homines Latini nominis in Ecclesia ferè censeatur esse nemo: falsò id quidem, sed tamen dissipantur indies opinionibus diuersis homines, neq; iam illis sententijs, in concordia retinentur. TIBI DABO CLAVES, QVICQVID LIGAVERIS, QVICQVID SOLVERIS, PASCE AGNOS MEOS. Vilescunt hęc, ac suam vim, authoritatẽq; sensim amittunt nostra culpa. Ex quo natus est nuper Lutherus, deinde Carolostadius, postremò Zuinglius, hinc etiã extitit illud quasi ciuile bellum Gręcorum, cũ Latinis, quod tamen magnam partem sedauit Eugenius quartus, qui pacem inter nos conciliauit, anno ab hinc centesimo. Sed istę tamẽ dissensiões

dissensiones in Ecclesia non aliunde nascũtur, quàm ex intermissione disciplinę veteris, quam nisi recuperamus, quantumlibet nos Claues, & Petrum iactemus, Ecclesiam tamen amittemus, quę perire ipsa quidem non potest, sed locabitur tamen alijs. Si em̃ Deus non pepercit naturali oliuę, ob scęlus, tu qui oleaster es time. Quod ne accidat, tu tua pręstanti sapientia Paule pontifex prouidere debes, neq; Concilium expectes, sed iam nũc, id quod corrumpit Ecclesiam, corrigas, atq; emendes: sunt enim omnia sua sponte aperta, patent omnia, vt nihil opus iam sit in Concilio monitore exquisito. Exonera quantum potes vitijs vrbem, Auariciam extirpes, Gratis ipse pietatem colas, deniq; Pontifices minores iube, vt Ecclesias suas diligentiùs curent, vt plebem doceant, vt sincerum ac verum Iesu Christi Euangelium publicè tradant populo, postremò eos Ecclesijs pręfice, nõ qui pinguiore apud te sunt iure, (vt more istorum loquar) sed qui potiores sunt in Ecclesia, vita, atq; doctrina, Quod cum feceris, tum demum nos reduc ad illam veterem maiorũ nostrorum normam, si enim ex pręscripto patrum vixerimus, non erit nobis opus Concilijs nouis. At si

At si vetera contemnemus, neque ista noua durabunt, & alter contra nos mittetur Lutherus: nam si millies, cum ipsa Vitemberga intereat is, qui nunc in Ecclesia furit, inuenietur tamen alius, qui nobis somnum adimet, & ista noua delebit. Quamobrem suscipe causam Ecclesię, suscipe causam eius sedis, in qua te Deus manibus suę Ecclesię collocauit: Confer postremum hunc vitę tuę, quasi actum, ad Ecclesiam constituendam: non est quod speres alium post te conaturum id, quod tu neglexeris. Quando enim (liceat enim Polono, non Albani Bergomatis more, verum dicere) quando inquā sapientiorem, prudentiorem, ac rerum maximarum longo vsu doctiorem, post te habebit Ecclesia Pontificem? vt iam tibi nulla sit reliqua excusatio, si ex tam perturbata Ecclesia decedis. Postremò illud fac cogites, te iam ad summam senectutem peruenisse, vt iā abs te mors non possit longe abesse, quare caue committas, vt hic extremus vitę tuę actus, tanquàm ab inerti Poëta, videatur esse abs te neglectus: quod vtique erit si nullum monumentum in eo constitues fidei, atque diligentię tuę, in Ecclesia tibi commissa. Multa tu quidem adijsti pericula, dum terra, mari-

rique

rique nullum iter recusas, quo pacem in Ecclesiam reducas, dum. Q. Cęsarem Regi Gallo reconcilias, dum dies, atque noctes Concilium cogis, dum nihil de officio ac munere tuo pretermittis. Sed hęc tamen minora sunt prę illis, quę restant: in his enim, quę adhuc egisti, preter voluntatē nihil est quod laudemus: in illis verò quę tibi reliqua sunt, non salubritatem aliquam, sed ipsam salutē expectamus, qua nobis per te restituta, lętus illum diem expecta, cum in illū Diuorū cœtum, cum talento tibi concredito, proficisceris. Vbi in illo beatorū concilio reddet tibi preclarum testimonium cōscientia tua, fideliter abs te gesti Pontificatus tui, vt ob studium tuum in Ecclesiam, illam coronā percipias, quā reddet tibi ob hoc Deus, quòd eam Ecclesiam, in qua ille Principem te esse voluit, pacatam, ac tranquillam multis tuis cumulatam beneficijs successori tradideris. Quod cum tua, tum verò omnium nostrū causa velle, vt facimus: & optare debemus.

Habes SAMVEL Matieioui quibus Ecclesiam Dei, pro nostra virili parte defendi posse contra Lutherum per nos videbatur. Singulas enim Ecclesię partes, quas labefactare Lutherus conatur, sumus persecuti:

M illisque

illisq́, vt potuimus opem tulimus, nihil tamē intactum reliquimus certè quidem, quo nitebatur contra nos causa Lutheri. Quorum cognitio si non magnam vtilitatem legentibus adferet, at saltem quod magis cupimus, bonam voluntatem nostram Deo cōmendet, cui debemus, nos, nostraq́. Quod vt tibi quoq́ gratum, probatumq́ sit cupimus, abs teq́ pro nostra erga te obseruantia petimus, vt studium hoc nostrum boni consulas, nosq́ tibi cōmendatos habeas. Bene vale. Premisliȩ Oppido Russiȩ Kal. Februarij. Anno Christi Dei nostri. M.D.XLVI.

Excussum Cracouiȩ in ȩdibus Hieronymi Vietoris. Anno domin. M. D XL VI

Iacobus Prilusius Iessouius Polonius MARtinum Lutherum ad sarciendam Concordiam Ecclesiæ Christi, hortatur.

Deme Luthere tuis, nostris dememus & ipsi,
Plurimaq́; addemus, tu simul adde tuis.
Regula sit fidei CHRISTVS, concorsq́; uoluntas
Illius in uerbo: bella cruenta cadent.
Te clamante, graui iacitur iam naue Saburra,
Merx aliena simul præcipitatur aquis.
Ne quoq́; flabra rotent puppim sine pondere iusto:
Neglectæ merces accipiuntur heri.
Nautæ etiam crapulam, & somnū excussere supinum,
Ac remis uigiles incubuere suis.
Nec dubita securam undæq́;, necisq́; carinam
Cum nautis, CHRISTO uelificare duce.
Non noster Neptuno adolet pia thura sacerdos,
In pelagiùe Deas relligione furit.
Ne tribuas tantum ergò tibi (ni es censor iniquus)
Vt Duce, merce, manu nos caruisse putes.
Quin tu ne medio linquas nos æquore discors,
Transfuga siue audax pro monitore pio.
Nec linquas remos, aut seditione carinam
Turbes, quod læsit, exulat: apta manent.
Prora secabit iter medijs ita fluctibus, usq́;
Dum tangat uelis littora nota suis.
At si te Scyllæ, monstrisq́; furentibus alto
Prodis, communi quæ sine puppe salus?

Tutius in cymba transmittitur æquor herili,
Ad cuius clauum tot coiëre manus,
Quàm si præcipites spàrsim exiliamus in undam,
Totq; pericla feris experiemur aqiis.
Ergo Luthere mane precor, anchora sistit euntes
Te propter, ueniæ mutua dona patent.



IN TAVRVM SAMVELIS. eiusdē. I.P.I.
Iuppiter agricolæ Tauri sumendo figuram,
Dilectam Europam per freta longa tulit.
At si pro nauta fies tu operosus arator,
Par tibi in Europa cum Ioue fiet honos.

Errata quæ inter relegendum deprahensa sunt.
A.3.facie.1. uersu.13. uobis.lege.nobis. & uer.21.labefictet lege labefactet & uer.24.prosequitur.perseq.
B.1.fa.2.uer.22.saltim saltem. B.4.uer29.habēt habeāt & uer.22. potes poteris & uer.26. & ratiolege & omnis ratio. facie.2.uer.11.monimentū munimentum.
B.6.fa.2.uer.2.illos qui, illosq;. & uer.ultimo.ammis lege annis. & ibidē.expientibus excipientibus.
C.4.fa.2.uer.2.uobis nobis.
C.5.fa.1.uer.ultimo Ecclesia, adde Dei ecclesia.
C.8.fa.2. uer.25. ad eundum, ad eundem.
D.8.fa.2.uer.8. quanta, quantam
E.1.fa.2. nultas. nullas. & E.4.fa.1.uer.1.fieri.ferri.
G.fa.1.uer.10.illis illius.
H.5.fa.2.uer.10.regiones regionis.
I.6.fa 1.uen. penultimo. abusum.abusu.
I.8.fa.2.uer.16.Romam Romani.
K.4.fa.1.uer.13. splendidiore.splendore.
& uer.24.ille.illa.
L.5.uer.13.affictæ.afflictæ.
Cætera cādidus lector facile, si quæ occurrēt emēdabit.

